Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

De Edicto Antonini Pii Pro Christianis Ad Commune Asiae : Commentatio Historico-Theologica

Argentorati: Typis Johannis Henrici Heitzii, [1781]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0001
DFG

K. K. — 1 (18.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0002
DFG

XVIII.

Alberti. Vindiciæ jur. civ.
Bertling. de judiciis
Beyckert. de Edicto Pii pro Christianis
Brandmyller. Seneca Itus.
Carpzov. de revoc. alien. in fraud. cred.
Carrach. de reatu.
Conradi. de jure Quiritium
Hommel. de quer. inoff. testam.
Hoorn. de milite romano.
Hselius. hist. judiciorum rom.
Kapff. de eo qui clarius loqui deb.
Kestner. de Jurisper. papizante.
Klengeln. de Consul. romanor.
Mascov. de j. auspicii apud rom.
Matthiæ. de testim. coeci in testam.
Meester. de Parricidiis.
Pfeiffer. de Prælegatis.
Poppius. de oblig. alendi fratres.
Richter. de testim. mulier. in codic.
de pacto, quo quis sine trib. fundum
Schultetus. de condition. injur. adj.
Scop. Computatio graduum.
Strauch. de ætatibus vitæ.
Stryck Diss. j. nov. Novellarum.
Syrbius. de Sabbatho gentili
Westphal. de Itoa Itor. rom.
Wieger. de Lege regia
Wildvogel. de balneis.
Wunderlich. de rest. i. i. contra proscr.

29 Bücher


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0006
DFG

DE

EDICTO
ANTONINI PII
PRO CHRISTIANIS
AD COMMUNE ASIAE.

COMMENTATIO
HISTORICO-THEOLOGICA

QUAM

SUB AUSPICIIS DIVINIS

PRAESIDE

JOH. PHILIPPO BEYCKERT

S. S. THEOL. D. P. P. O. ATQUE CAPIT. THOM. CAN.
UNIVERSITATIS h. t. RECTORE

IN ALMA ARGENTORATENSI UNIVERSITATE

D. VI. SEPTEMBRIS MDCCLXXXI.

SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI SISTIT

ISAACUS HAFFNER

ARGENTINENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI,
Typis JOHANNIS HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0007
DFG

ILLUSTRI

MUNIFICENTIAE

COLLIANAE

DISPENSATORUM

COLLEGIO

VIRIS

MUNERUM AMPLITUDINE,

DOCTRINA, PRUDENTIA,

MERITIS

IN REM PUBLICAM AC LITTERARIAM

SPLENDIDISSIMIS.

PII ET GRATI ANIMI SIGNIFICANDI CAUSSA

AUCTOR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0008
DFG

Dedit omnibus Deus pro virili portione ſapientiam, ut & inaudita inveſtigare poſſent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus anteceſſerunt, ſapientia quoque anteceſſerunt. Quæ ſi omnibus aequaliter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt. — Quare cum ſapere, id eſt veritatem quaerere, omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine poſito, non putant fieri poſſe, ut aut ipſi plus ſapiant, quia minores vocantur; aut illi deſipuerint, quia majores nominantur. LACTANT. L. II. c. 7.

§. I.

INTRODUCTIO.

Duae circumferuntur Antoninorum Epiſtolae pro Chriſtianis ſcriptae, quarum illa quidem Marci Aurelii, de pluvia Chriſtianorum militum precibus impetrata, poſtquam a SCALIGERO primum loco ſuo deturbata fuit, jamdudum omnem fidem perdidit: altera vero quam ad Commune Aſiae ſcriptam legimus, majoribus dubiis obnoxia, majorem etiam litem movit, quae nondum adhuc compoſita eſt, neque, quantum ego quidem video, ita facile dirimi poterit.

Varias autem hic in partes iverunt viri eruditi; alii Pio, alii Marco eam adjudicavere, alii de ejus authentia dubitarunt magis, quam quod eam argumentorum quodam apparatu convellere eniſi fuerint: & ita quidem com-

parata est tota haec disputatio, ut, quamcunque jam sententiam amplecti velis, magna habeas nomina, quibus tueri illam possis.

Titi Antonini rescriptum esse volunt Eusebius *a)*, Halloixius *b)*, & cum eo Papebrochius *c)* qui caeteroquin Halloixii verba tantum recitat, Baronius, Tillemontius *d)*, Maranus *e)*, Cave *f)*, Balduinus *g)*, recentiores fere omnes historiae ecclesiasticae scriptores, Moshemius *h)*, Schroekhius, quique ex instituto testimonia gentilium de Christianis collegerunt, Colonia, Bullet, Lardnerus *i)*. Novissime Hegelmajerus *k)* nostri edicti patronum egit, idque a Pio emanasse evincere studuit.

Marco illud vindicarunt Auctor Chronici Paschalis, Valesius *l)*, Pagius, Huetius *m)*, Grabius *n)*, Clericus *o)*, Walchius *p)*, Brukerus *q)*.

Inter illos autem, qui de Epistolae hujus authentia dubitarunt, eminent nomina Scaligeri *r)*, Dodwelli *s)*, Thirlbii, Moylii *t)*, Jortini *u)*, Baumgarte-

a) *Hist. Eccles. IV.* 12.

b) *Illustrium Ecclesiæ Orientalis Scriptorum Vitae* T. II.

c) *Acta Sanctorum ad XIII. April.*

d) *Memoires pour servir à l'Histoire Eccles. T. II.*

e) *In sua* Justini *editione.*

f) *Antiquitates Patrum.*

g) *de Edictis Principum Rom. de Christ.*

h) *de rebus Christ. ante Constant. M. Comment.*

i) *a large Collection of Jewish and Heathen Testimonies Vol. II.*

k) In *Comment. Hist. Theol. in Edictum Antonini Pii pro Christianis, Tubing.* 1777.

l) *in Notis ad loc.* Euseb.

m) *Demonstrat. Evang.*

n) *in not. ad hanc epist. ad calcem Apol. I.* Justin.

o) *Histor. Eccles.*

p) *Histor. Eccles. N. T.*

q) *in Hist. Phil. T. II.* Qui caetera non tam vitam Marci Aurelii conscripsit, quam panegyricum ipsi dixit.

r) *Ad chron.* Euseb.

s) *Dissert. Cyprian. XI.*

t) *Theological Repository Vol. II.* & passim in literis suis ad Kingium, quas latine vertit Moshemius. Nescio vero quomodo factum, ut Moshemius, qui alios iterum in eundem errorem

NII *v*), SEMLERI *w*): qui vero, unicum MOYLIUM si exceperis, leviter solummodo rem attigerunt. SEMLERUS enim ubi de hac epistola loquitur, haec tantum addit, *si modo genuina sit.* THIRLBIUS *x*), ceu ex tripode pronunciat, esse eam figmentum ineptum & puerile vaferrimi nebulonis; quae quidem verba, etsi non obscura sint atque mentem viri docti perspicue declarent, cum tamen caeteris rationibus destituantur quibus probanda erat res, illud vix cuiquam persuadebunt.

§. II.

In hac itaque sententiarum varietate & difficultate simul, quoniam, ut de recentioribus scriptoribus jam taceam, ne veteres quidem sibi constant, operae pretium duxi de novo periculum facere & in totam rem accuratius inquirere. Haec autem erit instituti mei ratio: primo dabo ipsum edicti exemplar; ventilabo deinde pervulgatam istam hypothesin, qua volunt, hanc Imperatoris epistolam fructum fuisse apologiae Justini; tunc vero disquiram, quid ponderis habeant argumenta illorum, qui sive Titum sive Marcum auctorem hujus rescripti esse contendunt, tandem propius singulas epistolae nostrae sententias ponderabo, atque videbo quid cum veri quadam specie de ejus authentia vel νοθεια statui possit.

induxit, KINGIUM hunc Magnae Britanniae Cancellarium dixerit; hic enim PETRI, noster autem, quocum MOYLIUS commercium epistolicum habuit, RICHARDI praenomen gessit atque Minister fuit verbi divini. Plures ad eundem exstant epistolae LOCKII, quae omnes inscriptae sunt *to the Reverend Mr.* KING.

u) *Remarks upon Ecclesiastical History Vol. II.* „*It was forged by some Christians before the days of* EUSEBIUS."

v) *Auszug der Kirchengeschichte P. II.*

w) *Selecta Capita H. E. T. I.*

x) *In sua Opp.* JUST. *Edit.*

§. III.

EPISTOLA ANTONINI AD COMMUNE ASIAE. Ap. Euſ. H. E. IV. 13. ad calcem Apol. Juſt. Chron. Alex. ad A. 169.

Αυτοκρατωρ Καισαρ Μαρκος Αυρηλιος *a*) Αντωνινος Σεβαστος, Αρμενιος *b*), Αρχιερευς μεγιστος, δημαρχικης εξουσιας τοπεμπτον και δεκατον, ὑπατος το τριτον, τω κοινω της Ασιας *c*), χαιρειν. Εγω μεν οιδα ὁτι και τοις θεοις επιμελες εστι *d*), μη λανθανειν τους τοιουτους· πολυ γαρ μαλλον εκεινοι κολαισαιεν *e*) αν τους μη βουλομενους αυτους προσκυνειν η ὑμεις. ὡς εις ταραχην εμβαλλετε, βεβαιουντες την γνωμην αυτων

a) Exemplar apud JUSTIN. diverſam Inſcriptionem exhibet. Αυτοκρατωρ Καισαρ Τιτος Αιλιος Αδριανος Αντωνινος Σεβαστος, Ευσεβης, Αρχιερευς Μεγιστος, δημαρχικης εξουσιας ὑπατος το πδ', πατηρ πατριδος το κα'.

b) *Auctor Chron. Paſch.* Armenici Titulum omittit.

c) Habuerunt Aſiani commune Concilium totius gentis, quo ſingulæ civitates legatos ſeu Synedros mittebant. Erant & in aliis provinciis hujuſmodi concilia, in quibus omnium ordinum & collegiorum homines conveniebant. Decreta condere, legatos eligere conſueverant, qui deſideria totius provinciæ Imperatori renunciarent. Fuere haec concilia variarum in chriſtianos perſecutionum ſeminarium. *Vid.* VALESIUS *ad h. l.* & BALDUINUS *p.* 89. SPANHEM. *de uſu & praeſtant. Numiſm. Tom. I. p.* 643. *Edit. Londin.*

d) Ap. JUSTIN. Εγω ωμην και τους θεους επιμελεις εσεσθαι. Haec lectio praeferenda mihi eſſe videtur. Nimirum Aſiani litteris ab Imperatore petierant, ut novas contra Chriſtianos leges ferret, & ſacrorum neglectorum ſtrenuum ſeſe præberet vindicem; haec autem non tantum facere recuſat, ſed & chriſtianae religionis cauſam agit. Reſpondent itaque haec melius ſcopo totius epiſtolae; *putabam equidem diis ipſis curae eſſe ne hujuſmodi homines lateant;* quam illa; *ſcio diis ipſis curae eſſe* &c. Sic TIBERIUS *deorum injuriae, diis curae.*

e) Exemplar ap. JUSTIN. addit ειπερ δυναιντο. Hæc verba ab ethnico homine certe profecta non ſunt, interpolata itaque, ſi genuina epiſtola: at cum hoc admodum dubium ſit, quare non & eodem jure dici poterit EUSEBIUM talia, quæ crudiora eſſe videbat, conſulto omiſiſſe.

ἥνπερ εχȣσιν, ὡς αθεων *f*) κατηγορȣντες *g*). ειη δ' αν κἀκεινοις αἱρετον, τω δοκειν κατηγορȣμενοις τεθναναι μαλλον η ζην ὑπερ τȣ οικειȣ θεȣ. ὁθεν και νικωσι, προιεμενοι τας ἑαυτων ψυχας, ηπερ πειθομενοι οἱς αξιȣτε πραττειν αυτȣς. περι δε των σεισμων των γεγονοτων και γενομενων, ȣκ ατοπον *h*) ὑμας ὑπομνησαι, αθυμȣντας μεν ὁταν περ ωσι, παραβαλλοντας *i*) δε τα ὑμετερα προς τα εκεινων. οἱ μεν ȣν ευπαρρησιαςοτεροι

f) Tritissima haec accusatio, quae in veterum christianorum apologiis omnem fere paginam facit. GIBBON *Histoire de la decadence de l'Empire Romain.* „*La malignité & le préjugé se réunirent à représenter les chretiens comme une société d'athées, qui avoient osé attaquer la constitution religieuse de l'empire. On ne voyoit pas assez evidemment quelle divinité ils avoient substitué aux dieux & aux temples de l'antiquité. L'ideé pure qu'ils avoient de l'être suprême echappoit à la grossiereté du peuple. Le payen ne pouvoit concevoir un dieu spirituel, unique, qui n'étoit représenté sous aucune figure corporelle ou simbole visible.* Sic *Caecilius* ap. MINUC. FELIC. (pag 10. edit. OUZEL.)„ *Cur etenim occultare & abscondere quidquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant. Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, nisi illud quod colunt & interprimunt, aut puniendum est, aut pudendum. Unde autem vel quis ille aut ubi deus unicus, solitarius, destitutus &c.* Judaei etsi caeteroquin eundem quem Christiani Deum coluerint, ab hac tamen exprobratione tuti erant. Deus enim Judaeorum Gentilibus Numen provinciale certaeque gentis esse putabatur. Maxima praeterea differentia inter Judaeos & Christianos intercedebat. Nam Judaei constituebant gentem; Christiani novam, privatam & incognitam hucusque religiosam familiam.

g) Ap. JUSTIN. haec verba adduntur, και ἑτερα τινα εμβαλλετε ἁτινα ȣ δυναμεδα αποδειξαι, de quibus nil habeo dicere, nisi quae ante jam monui. (*not. e.*)

h) *Chron. Pasch.* negativam particulam omittit, cui respondet lectio apud JUSTIN. ȣκ εικος, quam in versione praeferendam esse duxi.

i) Subobscurus hic locus variis etiam interpretationibus locum dedit. LANGUS, cui VALESIUS assentitur, ita vertit „*Non importunum* (ȣκ ατοπον) *fuerit vos admonere, ut scilicet res vestras cum rebus illorum comparetis.*" At respuunt hanc interpretationem graeca verba, ὑπομνησαι παραβαλλοντας. VALESIUS sic habet: „*qui & animum abjicitis quoties ejusmodi casus contingunt & vestra cum illorum institutis comparatis.* Ve-

γινονται προς τον θεον, ὑμεις δε παρα παντα του χρονον καθ' ὁν αγνοειν δοκειτε, των τε θεων και των αλλων k) αμελειτε, και της θρησκειας της περι τον αθανατον l). ὁν δη τους χριστιανους θρησκευοντας ελαυνετε και διωκετε εως θανατου. ὑπερ δε των τοιουτων ηδη και πολλοι των περι τας επαρχιας ἡγεμονων και τω θειοτατω ἡμων εγραψαν πατρι, οις και αντεγραψε μηδεν ενοχλειν τοις τοιουτοις, ει μη φαινοντο τι περι την Ρωμαιων ἡγεμονιαν εγχειρουντες. και εμοι δε περι των τοιουτων πολλοι εσημαναν, οις δη και αντεγραψα, κατακολουθων τη του πατρος γνωμη. ει δε τις επιμενοι τινα των τοιουτων εις πραγματα φερων, ὡς δη τοιουτον, εκεινος ὁ καταφερομενος απολελυσθω του εγκληματος, και εαν φαινεται τοιουτος ων, ὁ δε καταφερων ενοχος εσαι δικης. προσετεθη m) εν Εφεσω εν τω κοινω της Ασιας.

Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus Augustus, Armenicus, Pontifex Maximus, Tribuniciae Potestatis XV. Consul III. Communi Asiæ Salutem. Equidem putarim diis quoque ipsis curae esse, ne hujusmodi homines lateant. Multo enim magis illi puniverint eos, qui adorare ipsos recusant, quam vos, qui eorum, adversus quos tumultus concitatis, sententiam amplius confirmatis dum eos accusatis tanquam impios. Illis autem longe optabilius fuerit

rum & quid haec sibi volunt non satis intelligo. Melius mihi videtur assecutus esse sensum verborum EUSEBII RUFINUS, qui sic ea transtulit: „ *quod in hujuscemodi rebus ad illorum invidiam communes casus transfertis.*"

k) Credo ab EUSEBIO scriptum fuisse και των ἱερων, quod negligentia librarii transiit in, των ἑλλερων, quae vox iterum ab alio commutata cum synonima voce των αλλων. Confirmat hanc conjecturam lectio ap. JUSTIN. των ἱερων. *Chron. Pasch.* utramque exhibet και των αλλων ἱερων. Dormitavit autem aliquantum VALESIUS in translatione hujus loci, qui ita vertit: „*Et tum alias caerimonias insuper habetis tum cultum immortalis illius.*"

l) *ap.* JUSTIN. & *Chron. Pasch.* θρησκειαν δε περι τον Θεον ου επισασθε. quod ad unum idemque redit.

m) Solebant Imperatores quoties aliquam constitutionem ad omnium notitiam pervenire vellent, sua manu adscribere, *Proponatur*; sic in calce Epistolae LI. Juliani ad Alexandrinos scriptum est, προτεθηλω τοις ἀλεξανδρευσι πολλαις. Haec VALESIUS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0014
DFG

ut in jus vocati mortem oppetere videantur pro deo suo, quam ut incolumes remaneant. Ita victores evadunt, animas suas potius projicientes, quam ut ea facere quae vos jubetis, in animum inducant. Caeterum de terrae motibus qui vel ante fuerunt, vel etiamnum fiunt, non aequum est vos mentionem facere, dum animos quoties ejusmodi casus contingunt despondetis, ac vestra infortunia illis imputatis. Atqui illi quidem majorem tunc fiduciam in deo collocant, vos vero per id tempus deos ignorare videmini & sacra negligitis praesertim cultum Immortalis Illius. Et Christianos, qui illum venerantur, expellitis atque ad mortem usque persequimini. De his hominibus jam alii provinciarum rectores divo patri nostro scripserunt, quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte contra statum imperii Romani aliquid moliri viderentur. Multi etiam ad me de illis retulerunt, quibus ego patris mei constitutionem secutus respondi. Quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere ex eo quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur, tametsi constet eum reipsa Christianum esse, delator autem ipse poenas luat. Proposita Ephesi, in publico Conventu Asiae.

Haec autem, addit Eusebius, ita gesta esse, Melito Ecclesiae Sardensis Episcopus, qui iisdem temporibus floruit, perspicue testatur in Apologetico illo longe utilissimo, quem ad Imperatorem Verum (Marcum Aurelium) pro religione nostra conscripsit.

§. IV.

DE VARIIS RESCRIPTI EDITIONIBUS.

Legitur hoc edictum apud Eusebium & ad calcem Apologiae Justini. Sequuntur Eusebium Nicephorus & Auctor Chronici Alexandrini, qui tamen varias lectiones ex Justini exemplo depromptas, & hinc inde

utramque simul exhibet. Vulgo quidem exemplum apud EUSEBIUM illi apud JUSTINUM praeferri solet, vix autem dici poterit quodnam revera pro authentico habendum sit, quamvis caetera hoc mihi persuasum habeam, Rufini temporibus hanc Antonini epistolam, latine saltem codicibus JUSTINI non additam fuisse *a*). At latine extare olim debuit, si genuina est. Constat enim Romanos leges suas, ad quascunque pertinerent gentes, latino edidisse sermone *b*). Conjecerunt viri eruditi plures hujus epistolae

a) Causa quae in hanc opinionem me adduxit haec est. Testatur EUSEBIUS latinum epistolae Adriani exemplum à JUSTINO *Apologiae* suae adjectum fuisse. Suborta vero est virorum eruditorum expostulatio, primitivum ejus rescripti exemplum sibi ita è manibus ereptum dolentium. At verosimile est extare adhuc authenticum ADRIANI exemplar apud RUFINUM. Certe hic aeque uti EUSEBIUS illud adhuc latine in JUSTINO deprehendere potuit. Confirmat hanc conjecturam planissima dictio epistolae imperatoris, cum ADRIANI aevo mire consentiens, a consueto vero RUFINI stilo, quo in EUSEBIO vertendo utitur, longissime aberrans, quod facile apparet si ADRIANEAM hanc epistolam cum nostra, quam ex graeco EUSEBII textu latine transtulit, conferre quis velit (vid. MAZOCH. ap. GALLAND. *Biblioth. Patrum* T. I.) Nullus ergo dubito, eum primitivum Epistolae ANTONINI exemplum nobis quoque conservaturum fuisse, si vel apud JUSTINUM illud offendisset, vel aliunde etiam ipsi innotuisset.

b) Cum populus Romanus totum fere orbem imperio tandem regeret, duarum praecipue linguarum usus in universum obtinuit. Occidentales sive barbarae gentes, quae jugum Romanum expertae erant, dum a victore populo artes bonasque litteras edocebantur, lubenter etiam ejus linguam adoptaverunt; & sic quidem factum est, ut latini sermonis usus in Africa, Hispania, Gallia, Britannia frequentissimus esset. Aliter vero comparata erat res in Orientis partibus. Graeci enim & Asiae incolae, in quarum regionibus artes & scientiae domesticae erant, dum obedire novis dominis dura necessitate cogebantur, simul tamen Romanam linguam ceu barbaram atque molestam respuerunt, & vernaculum sermonem tenaciter magis retinuerunt. Tantus vero fuit Romanae linguae contemtus inter Graecos, ut, quod non immerito mireris, vel optimi eorum scriptores, qui sub Augustis floruerunt

ſtolae translationes graecas eſſe factas, magis vel minus ad litteram expreſſas, ex quibus totam hanc lectionum varietatem enatam eſſe volunt; & primo quidem intuitu commendare ſeſe hanc conjecturam dixeris, quae tamen evaneſcit, ſi illud tecum reputare velis, tunc neceſſario majorem adhuc oportere adeſſe diverſitatem lectionis. Quivis hoc facile animadvertet, qui comparationem inter duas unius ejusdemque libri translationes inſtituet; eas enim eundem licet ſenſum fundant, in orationis ſtructura & ſingulis fere verbis a ſe invicem abeuntes deprehendet. Minus vero differunt exempla apud JUSTINUM & EUSEBIUM, quam concordant; & maxima diſcrepantia in illis tantum rebus cernitur, quae, ſi ab ethnico homine profecta eſt epiſtola, ab aliena & quidem chriſtiana manu manifeſte addita fuerunt. Nullus veterum ipſum latinum exemplar manibus ſuis tractaſſe videtur. EUSEBIUS, qui diſerte dicit ſe Adriani Epiſtolam graece vertiſſe, non idem de noſtra praedicat: ab uno eam eodemque fonte manaſſe dicere auſim, unde vero & ex quibus tenebris emerſerit,

ignoraſſe plane videantur, Romam ullum ſcriptorem aluiſſe, dignum qui ab ipſis allegaretur. At, quamvis Romani hoc facile darent, Graecis dediſſe muſam ore rotundo loqui, ſui tamen ſermonis dignitatem tueri ſolliciti erant, eoque conſtanter in civili reipublicae adminiſtratione ubique locorum uſi ſunt. Factum inde eſt, ut etiam in exteras linguas vocum forenſium Romanarum farrago introduceretur, quod vel ex Novo Teſtamento apparet. Graecis nunquam niſi latine reſponſa dederunt. (*Valer. Max. II.* 2.) Paulus Aemilius Macedonibus victis leges latine pronunciat, quamvis Graeca calleret. Claudius Lycio cuidam jus civitatis ademit, quod ipſi latine reſpondere non poterat. Sub Tiberio Graeco militi non conceſſum fuit vernacula lingua coram judice teſtimonium reddere. CICERO (*Act. in Verrem II. L. IV.* c. 66.) crimini ſibi datum fuiſſe refert, quod in Senatu graeco graece locutus fuerit. *Opera data eſt*, ut ait AUGUSTINUS *de Civit. Dei XIX.* 7. *ut imperioſa civitas non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus imponeret.* Latine ergo olim exſtitit ANTONINI Epiſtola, quae tamen penitus eccleſiaſticos ſcriptores latuiſſe videtur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0017
DFG

ignotum; caeterum temporis lapsu, librariorum vel & falsariorum male sedulis curis, sive inscitia, sive emendandi hoc est depravandi pruritu, hanc tandem biformem, qualem nunc ipsi videmus, adepta est faciem.

§. V.

EXAMEN HYPOTHESIS QUA VOLUNT JUSTINI APOLOGIAE EDICTUM DEBERI.

JUSTINUS philosophus librum pro Christiana religione compositum Antonino tradidit, benignumque eum erga Christianos fecit. Sunt haec OROSII verba *a*). Clarius ZONARAS *aa*). *JUSTINUS ad ANTONINUM PIUM defensionem Christianorum scripsit, qua hic Imperator impulsus, decreto ad Commune Asiae misso cavit, ne quis Christianus propter religionem supplicio afficeretur; quod si quis eo nomine accusaretur, accusatum quidem esse absolvendum, accusatorem vero esse mulctandum.* Nata est ex his duobus recentiorum scriptorum testimoniis pervulgata haec opinio, JUSTINI Apologiam causam fuisse edicti Imperatoris pro Christianis. Addit HALLOIXIUS, verosimillimum esse, JUSTINUM impetrato edicto profectum esse in Asiam, secumque una exemplum edicti detulisse, atque, ut Ephesi in Communi Asiae promulgaretur, ex Caesareae auctoritatis indulgentia obtinuisse. Repetita legitur haec opinio in historiis ecclesiasticis recentioribus fere omnibus. Contigit enim & hic quod plerumque fieri solet: nimirum, ubi semel aliquid a viro auctoritate sua conspicuo pronunciatum fuit, reliqua turba, cui solemne est in aliorum verba jurare, coeco assensu illud amplectitur, neque ipsi in mentem venit, magistrorum, quos sibi elegit, effata in dubium iterum revocare; & sic quidem errores uti verae sententiae ad plerosque homines per traditionem quan-

a) L. VII. Cap. 14. *aa*) *Annal.* XI. 1.

dam abeunt; valde exiguus enim est illorum numerus, qui non otiose scire, docte servire, rationem ab aliis mendicare, sed propriis oculis videre volunt.

Ut autem videamus, quid veri, quid falsi huic hypothesi insit, duo momenta nobis attendenda erunt; annus, quo scripta apologia, atque annus edicti. Et quidem quod ad annum attinet, quo JUSTINUS primam suam apologiam Imperatori obtulisse fertur, duas hic praecipue in partes distrahuntur recentiores scriptores. BARONIUS, TILLEMONTIUS, GRABIUS *b*) ad annum 150; SCALIGER contra, PETAVIUS *c*), DODWELLUS, PAGIUS ad annum 139 eam referunt *d*): quorum sententiae & ego accedere non dubito. Suadet mihi hoc inscriptio apologiae *e*), in qua Antoninus Pius solummodo Caesar nominatur. JUSTINUS certe hanc appellationem Augusti filiis, quos reliquis omnibus honorum titulis ornat, Caesarea dignitate & im-

b) *Spicileg. Patrum Saec. II. p.* 150.

c) *ad Epiphan. Haer.* 46.

d) Varias istas sententias collegit TENZELIUS *in Exercitat. select. Vid. etiam* GALLAND. *Biblioth. Patr. T. I. in prolegom.*

e) *Imp. Tito Antonino Pio, Aug. Caesari; & Verissimo filio Philosopho, & Lucio Philosopho* (φιλοσοφω. Multum disputarunt de lectione hujus vocis. VALESIUS φιλοσοφῳ legendum esse existimat, attamen usitatam lectionem praeferendam esse censeo.) *Caesaris quidem nativo, Pii autem autem adoptivo filio, eruditionis amatori &c.* Marcus post excessum patris, Annii Verissimi nomen jussu Hadriani retulit; at sumta virili toga (anno 135.) genitoris sui nomen, Annii Veri sibi denuo vindicavit; donec tandem in Aureliam gentem, adoptionis jure adscitus (anno 138.) M. AURELIUS dictus est. (*Vid.* CAPITOLIN. *in Marco* c. 1. & 5.) Cum vero vulgus nomina, quibus semel adsuevit, non repente cum aliis immutare soleat, per aliquod tempus, etsi in publicis actis AURELIUS jam diceretur, Verissimus adhuc vocatus fuit, donec nomen istud vetustate tandem exoleseceret. Vix autem verosimile est, anno 150. cum juvenilem aetatem egressus, summisque dignitatibus condecoratus esset Marcus, Verissimi nomen amplius apud vulgus usitatum fuisse, ut vel exinde colligi possit, JUSTINI Apologiam magis apte ad annum 139 referri.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0019
DFG

perio proconsulari longe tamen inferioribus, non denegasset, si eorum alter tunc Caesareo nomine donatus fuisset. At Verissimus sive Marcus Aurelius creatus est Caesar anno qui praecessit consulatum ejus primum; processit vero Consul Marcus cum Pio anno 140, renunciatus itaque fuit Caesar anno præcedenti, teste CAPITOLINO *f*) quod & confirmant plures nummi apud MEDIOBARBUM obvii. Hinc liquet, primam JUSTINI apologiam editam fuisse ante finem anni aerae Christianae 139. Neque vero quae contra hanc sententiam afferunt, tantum ponderis habent, ut eam ita facile convellere possint. Nimirum in ipsa apologia, ajunt, adesse quaedam loca quae nostram hypothesin non admittant. Primus ille est, ubi JUSTINUS *g*) Christum ante annos 150 natum esse dicit. BARONIUS inde praecise hoc anno apologiam scriptam esse colligit. Sed praeterquam quod Christiani per haec tempora nullam adhuc peculiarem aeram habuerint, & incertum sit, quam supputandi annos Christi rationem JUSTINUS secutus fuerit, sanctus martyr in hoc loco non illud agit ut tempus nativitatis Christi accurate definiat; verum potius ut objectioni gentilium occurrat, qui rerum nostrarum ignari, numero rotundo loquebantur, & inde quod Christus ante 150 annos demum natus fuerit, colligebant, insontes esse omnes illos homines, qui ante istud tempus vixerunt. Non tam suam opinionem, quam nonnullorum exceptionem, refert JUSTINUS, qui, ut probarent nullam culpam in majores suos cadere posse, objiciebant effluxisse ad summum a nativitate Christi 150 annos, indeque triginta circiter, antequam publice docere coeperit. Cum itaque de hoc tantum sollicitus esset JUSTINUS, ut ad hanc objectionem responderet, ipsius parum intererat in annum nativitatis Christi accuratius inquirere, atque totus hic locus, uti ex

f) *In Marco Cap. 6.* *g*) *Apol. I. §. 61. Edit. Grab.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0020
DFG

communi loquendi usu vulgarique exaggerandi consuetudine desumtus, ita & intelligendus est. Quod si vel ipse JUSTINUS persuasum sibi habuisset, revera annos 150 jam effluxisse, nil aliud inde sequeretur, nisi illud, nempe erasse virum bonum; constat enim, multos Patrum, non indoctos caeteroquin, chronologiae tamen rudes fuisse & hinc inde, quod ipsi JUSTINO accidit, ingentes errores erasse.

Alter vero locus, quo suam firmare student sententiam, ille est, ubi Marcionis haeresin per omne hominum genus sparsam jam esse asserit JUSTINUS *h*). Sic autem ratiocinantur: cum Marcion teste IRENAEO invaluerit sub Aniceto, Anicetus autem, juxta accuratissimas, uti volunt, rationes anno demum 142 sedem Romanam occupaverit; inde sequi, demum aliquanto post apologiam JUSTINI scriptam fuisse. At quare ex inscriptione apologiae non aeque & eodem jure colligi poterit, Marcionem extremis Adriani temporibus errores suos sparsisse? EUSEBIUS in *Chronico* ante Aniceti tempora haeresin ejus collocat: ORIGENES, CLEMENS ALEXANDRINUS sub Adriano jam Marcionitas ortos esse tradunt: PHILASTRIUS eum primo in Asia haeresin suam propalasse refert; neque contemnenda est haec sententia; fuit enim Asia Gnosticarum familiarum patria, quae tandem ex Oriente Romam usque sese extenderunt, ut ita Marcioni, qui Asianus erat, Romae haec demum addiscere certe non opus fuerit; & quamvis Cerdonis successorem eum dicat IRENAEUS, inde tamen non efficitur, eum ante de propria schola condenda nondum adhuc cogitasse. Plura haeresis alicujus interdum distinguenda sunt tempora, &, ut uno verbo dicam, incerta sunt omnia, quae de Marcionis ut & de aliarum Gnosticarum familiarum originibus veteres litteris prodiderunt. Sic & accuratissimae illae rationes, quibus annos

h) *Apol. I.* §. 35.

ſucceſſionis primorum Pontificum Romanorum definire conati ſunt viri docti, multis dubiis obnoxiae ſunt eruntque ſemper, & tam fluxa ſunt, quae de ſummis Pontificibus ad Victorem uſque traduntur, ut probabilibus conjecturis annorum intervalla, quibus eccleſiam ſuam rexere, elici nequeant. Vix itaque objectiones, incerta chronologia tanquam fundamento nixae, ita ſunt comparatae, ut certiores illas, quae ex ipſa apologiae fronte ducuntur, convellant.

Objicit quidem GRABIUS, Juſtinum Caeſaris titulum ideo forte Marco Aurelio tribuere noluiſſe, quod jam Antonino Pio, quem primo loco nominaverat, illum addiderit; vel quod ſatis honoris ipſi habuiſſe putaverit, Philoſophum eum appellando, hunc enim titulum Caeſarea dignitate minime inferiorem, imo ſuperiorem etiam eſſe habitum, ex ea, quam ATHENAGORAS legationi pro Chriſtianis praefixit, inſcriptione colligi poſſe, quae talis eſt; *Imperatoribus M. Aurelio Antonino & Lucio Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis, & quod maximum eſt Philoſophis.* At ego, quae mea eſt tarditas ingenii, non video, quare titulus, qui jure alicui debetur, ob id ſolummodo ipſi denegetur, quia alii jam datus fuit. Patet ex tota inſcriptione, Juſtino propoſitum fuiſſe, Auguſtum & ejus filios ſuis unumquemque titulis ornare; ſic non honoris cauſa Caeſaris filios adoptivos, Philoſophos vocat, ſed quia tunc, cum philoſophiae atque bonis artibus operam darent, ſive etiam quod vitam viverent auſteram, vulgo hoc nomine gaudebant. Inſcriptionem vero, quae apud ATHENAGORAM legitur, parum inſervire GRABII cauſae, facile tibi perſuadebis, ſi attendere velis, plane diverſam eſſe rationem ſcribendi, qua ATHENAGORAS utitur, ab illa JUSTINI. Ille enim, prout urbanus homo eſt, ab initio apologiae ſuae uſque ad finem blandiri Imperatoribus ſtudet; conſulto itaque dicit, ab illo Philoſophorum

quod habeant cognomine, maximum ipsis decus accedere; inde enim occasionem arripit ad mansuetudinem & humanitatem eorum provocandi orandique, ut aequo animo, (hoc enim philosophos decere) preces suas audiant, ne communi & a ratione alieno rumore abrepti praeoccupentur, sed doctrinae & veritatis studium quod profitentur, rebus Christianorum quoque concedant. Hic vero non blandienti sed dura admodum voce Imperatores compellat; *at vos*, inquit, *ubique locorum quidem, Pii, Philosophi, justitiae custodes auditis, an vero etiam sitis, res ipsa demonstrabit.* Innuere itaque videtur, eos nullo jure hunc sibi titulum vindicare, quod si tamen in apologiae inscriptione eum ipsis largitur, certe non honoris causa hoc facit, sed tantum quia vulgo sic vocabantur.

Quod vero ad annum attinet, quo Epistola Antonini data fuit, definiendus hic necessario ex inscriptione, quam vel Eusebius vel Justinus exhibent. Vix autem operae pretium erit, ut illi, quae apud Justinum legitur, Inscriptioni multum immoremur: perversissimi enim erant numeri apud sanctum martyrem, quos dein ex Eusebio emendavere Sylburgius, quique eum secuti sunt. Eusebius itaque praecipue nobis consulendus erit, atque omnem certe fidem meretur lectio quae apud eum occurrit, quamvis alias maximas difficultates pariat, cum in ea consentiant manuscripti codices, Rufinus, Auctor Chronici Alexandrini, qui tamen pro anno, quo haec gesta esse refert, numeros Tribunitiae Potestatis immutare debuisset; & sic quidem Eusebio duce incidit Epistola Antonini in annum 153.

At (ut jam paucis verbis comprehendam, de quibus pluribus mihi infra adhuc dicendum erit) regeret mihi aliquis; si ad rationes chronologicas exigenda sit res, & inscriptionem Eusebianam fili Ariadnaei instar sequi debeamus, tunc augentur potius difficultates, quam sol-

vuntur, & inextricabilis plane evadit tota haec quaestio. Si enim a Tito emanavit rescriptum, falsus est Armenici titulus qui numquam datus ipsi fuit, neque etiam anno 153 Consulatum tertium, sed quartum ab anno 145. jam habuit. Quod si Marco illud adscribas, tunc quidem secundum Tribunitiae Potestatis numeros incidit Edictum in annum 161, sed falsus iterum titulus ille Armenici, quem anno 164. demum assumsit, Trib. Pot. XVIII. Necessario inde sequi, numeros apud EUSEBIUM corruptos esse, & emendatione qualicunque indigere; cum quamcunque jam hypothesin tuam facere velis, sive Marcum sive Titum auctorem edicti esse dicas, numeri Eusebiani nullo modo cum veritate historica componi possint Verum enimvero nonne & alii pensitando vel ipsa verba edicti, quae Christianum magis quam ethnicum hominem sapiunt, vel tenues istas atque infirmas rationes, quibus ejus authentiam adstruere solent, nonne & alii, inquam, ex hac numerorum confusione eodem jure colligere licebit, spurium illud esse? Nonne Inscriptiones, Nummi, hujusmodique monumenta praecipua semper viris doctis praebuerunt argumenta, ad quae ponderarent authentiam scriptorum, quae nobis mendax antiquitas tanquam genuina & omni fide digna transmisit?

Sed ut liberales nos esse appareat, in praesens jam concedamus corruptos esse numeros apud EUSEBIUM; inde tamen non efficitur circa illud tempus datam fuisse epistolam, quo Justinus apologiam suam exaravit, anno nimirum 139. vel insequenti. Antoninus nempe, antequam literas ad Commune Asiae mitteret *i*), alias jam de Christianis

i) Docent nos verba MELITONIS, rescriptum ANTONINI ad Graeciae urbes ejusdem fere tenoris fuisse, ac illa Trajani atque Hadriani. Nostrum, cum multo magis Christianis honorificum sit, omnibusque eorum commodis prospiciat, inde conjicio posterius illud, non vero prius ordine fuisse: neque enim mihi persuadere possum,

ſtianis ad Graeciae civitates dederat, quarum Melito meminit, ex cujus loco, quem Eusebius nobis aſſervavit, colligi poteſt, eas ſaltem ante annum 147. nondum editas fuiſſe: dicit enim Melito, ſcripſiſſe Pium ad Graeciae urbes eo tempore, quo Marcus cuncta ſimul cum ipſo adminiſtrabat, hoc eſt, quo ob Tribunitiam poteſtatem & Proconſulare imperium, imperii collega nominatus fuit. Contigit vero hoc anno 147. cum Pius Proconſularis imperii decennalia exhiberet.

Si itaque Juſtinus anno 139. apologiam ſuam obtulit, reſcriptum vero Imperatoris anno demum 148. vel 153. promulgatum fuit, exinde facile patet, quam vana ſit hypotheſis iſta, qua volunt Juſtini apologiam praecipuam hujus edicti cauſam fuiſſe *k*). Quid enim? ſaeva per-

eundem Imperatorem, qui tam ſplendidis & magnificis verbis res Chriſtianorum commendaverat, paulo poſt ita frigide & jejune cauſam eorum egiſſe.

k) Chriſtiani Imperatoribus Apologias quidem dedicaverunt, num vero etiam ſcripta haec in Principum manus pervenerint, & ſi pervenerunt num & lecta ab ipſis & attentione digna judicata fuerint, alia eſt plane quaeſtio, quae etſi vulgo affirmari ſolet, mihi tamen non ſolum multis dubiis obnoxia, ſed ne veroſimilis quidem eſſe videtur. Neminem poteſt fugere, qui paulo attentius monimenta primorum ſaeculorum ſcrutatus fuerit, quanta & quam inepta ſimul fuerint praejudicia gentilium de Chriſtianis. Philoſophi, nam & Philoſophi ſuos patiuntur manes, alto ſupercilio deſpiciebant, quaecunque ad viſa ſcholarum, quibus ſeſe addixerant, accommodata non erant; caeteri homines ſive profuſi in delicias, projecti in libidines, in omni denique turpium voluptatum genere profligati ac perditi; ſive admodum ſuperſtitioſi; prout enim Chriſtiana religio incrementa capiebat, diceres ſuperſtitionem magis magisque profundiores etiam radices egiſſe inter Gentiles. Invaluerant praeterea politicae quaedam rationes, quae vel ipſis Philoſophis extra omnem dubitationem poſitae eſſe videbantur: religione nimirum mutata rempublicam mutari, patriam itaque religionem ſervandam, deos, qui Romanis orbem imperio regere dediſſent, majores neceſſario eſſe Deo Chriſtianorum, qui ſuis nil niſi tormenta, ignes, cruces atque poſthumam quandam vanam immortalitatem

secutio movetur in Christianos, rapiuntur undique ad necem homines insontes, gravissimis atrocissimisque calumniis

possent largiri. Indignabantur, audere homines sine arte, sine litteris, sine acumine ullo, sine auctoritate, sine lepore, aliquid de summa rerum decernere. Cum autem sic in universum omnes fere gentiles in Christianos affecti essent, vix creditu facile est, hos in aula Caesarea tandem illam benignitatem ac humanitatem fuisse expertos, quam frustra ubique locorum quaerebant. Valde itaque mihi arridet sententia BAYLII (*Art. Athenagore.*) quam & suam fecit MIDDLETONUS (*Vid. Free Inquiry into the miraculous Powers.*) Sic autem BAYLIUS de Athenagora loquitur, quod & de caeteris Apologetis affirmari poterit. „*J'ose bien dire que je compare Athenagore à ces écrivains modernes, qui sans sortir de leur cabinet, font voler par toute la terre une production de leur plume, sous le titre de requête des Protestans présentée au Roi. Ceux qui liront ces sortes de pieces d'ici à cent ans, ne douteront pas, qu'elles n'aient été actuellement présentées: mais nous autres nous savons bien, que cela est faux. Les premiers Chrétiens en usoient apparemment de la même maniere. Ils composoient des écrits addressés aux Empereurs & les publioient sous l'espérance qu'il en tomberoit quelque exemplaire entre les mains de ces Princes, & que cela porteroit la cour à remédier aux violences que l'on exerçoit sur les fidèles injustement accusés. Encore une fois, je me persuade qu'Athenagore fit dans le second siecle, ce que fit Calvin dans le seizieme: Calvin caché à Bâle dans une petite chambre, dédia à François I. son Institution chrétienne, que ni lui ni aucun autre ne présentèrent jamais.* Verum ne temere nimis dicta haec esse videantur, & rationes istas meras conjecturas omni veritatis specie destitutas aliquis pronuntiet, quamvis contraria opinio nullis firmioribus fundamentis nitatur, credo exemplo quodam confirmari etiam posse sententiam BAYLII. Scilicet QUADRATUS & ARISTIDES Adriano Apologias nuncupaverunt, & cum princeps hic curiositatum omnium esset explorator, eo facilius sibi persuadent, eum non solum haec scripta perlegisse, sed etiam Apologeticos istos libellos ad persecutionem contra Christianos excitatam sedandam nonnihil contulisse; vid. HIERONYM. *Epist.* 84. Diserte vero asserit EUSEBIUS (*H. E. IV.* 3.) in QUADRATI apologia, quae suis adhuc temporibus in omnium manibus erat, Apostolicae fidei doctrinam luculenter exhibitam fuisse: neque ullum mihi dubium est in eodem libello ostendisse QUADRATUM, a superstitiosa ethnica pravitate Christianam religionem quam maxime esse alienam, cum in hoc

exagitati, nullius licet criminis sibi conscii, periculum in mora, novus enim quisque dies, novas videbit strages. Vir bonus & Christianus supplici libello Imperatorem adit; innocentiae, quae ita impune & barbare opprimitur, causam agit; diserte probat, reos istos, qui di-

argumento apologetici scriptores praecipue desudarint. Si ergo Imperator haec legit, nosse debuit quaenam esset Christianorum doctrina. Prodiit haec Apologia A. 126. Extat autem epistola ADRIANI *ap.* VOPISCUM *in Saturnino.* quae ante annum 134 scripta non fuit. In hac vero epistola ita de Christianis loquitur, ut eorum doctrinae eum prorsus imperitum fuisse liqueat. Quippe, si fides ipsi habenda, Christiani Serapin colebant, eorumque episcopi isti Deo erant devoti, omnes Christianorum presbyteri aruspices simul, mathematici hujusmodique furfuris homines erant. Quodsi haec manifeste ostendunt, ADRIANUM fucum sibi fieri passum esse dicacitate Alexandrinorum (nam Alexandriae portenta haec omnia didicerat) qui maledictorum summi fuerunt artifices, certe ostendunt quoque, vix dici posse, QUADRATI apologiam permovisse ADRIANUM, ut meliorem de Christianis foveret sententiam. Sed ut ad JUSTINUM redeamus, dixerim Apologiam ejus, ob duriores, quas hinc inde habet, sententias minus aptam fuisse ad molliendum ANTONINI animum, si vel eam perlegisset. Fatetur quidem sanctus martyr se non adulaturum neque ad gratiam quidquam dicturum accedere; verum & in veritate dicenda modus aliquis tenendus est. Quid autem? si quis principi superstitioso admodum, qui mentem multis praejudicatis opinionibus haereditario ipsi quasi jure transmissis obrutam habet, ad JUSTINI exemplum, sine ullo sermonis lenimine dicat; carnificem eum potius quam principem agere, videri eum metuere, ne universi quae justa sunt faciant, & non amplius habeat quos possit punire, suo regimine supplicia & ignes aeternos sibi praeparare, principes opinionem veritati praeferentes tantum valere, quantum in solitariis locis praedones; si quis praeterea dum suam in primis causam agere debet, alienam potius agit, & non tam fidem quam ipse profitetur sanctam & innocuam esse docet, quam illam principis adoritur, quam absurdam, ab omni ratione alienam, malignorum daemonum opus esse evincere conatur, nonne imprudenti hoc consilio efficiet, ut Princeps, qui hucusque etiam sapere sibi videbatur, & vel inter suos ob patriorum sacrorum amorem alterius Numae nomen adepus erat, indignabundus tale scriptum respuat, & irascatur magis, quam mollem atque facilem sese praebeat?

gni morte haberentur, homines esse virtute & integritate sua conspicuos, sanctos, castos; rogat Principem, velit suis mandatis lenire saevitiem Praesidum, coërcere plebis ferociam: benigne vero haec accipit Princeps, adnuit votis viri, persuasum sibi habet, inique agi cum Christianis, unicum eorum esse crimen, nolle criminum esse participes; urgentibus malis medelam afferre festinat, & ut benignitatis justitiaeque suae egregium atque aeternum posteris exhibeat testimonium, tandem decem vel quindecim annis post, legem pro Christianis rogat. Quis persuadere sibi possit, Imperatorem, si revera permotus fuit precibus JUSTINI, ita tamen cunctaturum fuisse in ferenda lege in favorem Christianorum?

Aliud adhuc argumentum in prolegomenis suis ad JUSTINUM MARANUS profert, quo ostendat, JUSTINI apologiam Pii edicto occasionem dedisse. Tantam, ait nempe, religionis Christianae elucere cognitionem in litteris Antonini (nimiam omnino ideoque valde suspectam) quin imo tantum esse consensum decreti Imperatoris cum apologia JUSTINI, ut in sententiam sancti martyris constructum plane videatur. Unusquisque facile videt, levissimam esse hanc Benedictini editoris rationem, neque ullam probandi habere vim. Nam ut illud statim dicam; ethnicus, qui pro Christianis verba facere volebat, fere necessario incidere debuit in aliquid eorum, quae apologetae tractare consueverant, neque ut ab imputatione atrocissimorum criminum absolveret Christianos, Christianorum scripta ideo perlegenda ipsi erant: dein vero, mirus ille consensus non tam in ipsis Antonini litteris, quam in MARANI ingenio mihi situs esse videtur. Versantur enim litterae maxime circa illam gentilium criminationem, quod Christiana religio, pestis, famis, terrae motuum, omnium denique malorum, quae per orbem Romanum grassabantur, princeps causa esset: nil autem habet de hac accusatione

Justinus, quasi hoc plane ignorasset, Christianos publicorum malorum veluti reos postulatos fuisse; ergo nullo jure dicitur, Imperatoris litteras ad Justini apologiam expressas esse.

Nata est tota haec opinio, de qua hucusque disputavimus, ut supra jam dixi, ex recentiorum scriptorum Orosii & Zonarae testimoniis: neque unquam luculenter probari poterit, apologia quadam Christiani scriptoris ethnicos principes permotos fuisse, ut excitatam persecutionem litteris hunc in finem datis sedarent. Trajanum saltem Plinii, Adrianum Serenii Graniani litterae, non vero supplices apologetarum libelli adduxerunt, ut de Christianis rescriberent.

§. VI.

DE AUCTORE EDICTI.

I.

DE ANTONINO PIO.

Viri docti, inquit Moshemius, *qui Marco hoc edictum tribuunt ideo tantum hoc faciunt, ut mala Christianis sub Antonino Philosopho illata extenuent, atque post levem calamitatem, quam sub initium imperii ejus senserant, superatam, perpetua eos pace sub hoc Imperatore usos esse persuadeant, in quo privatam magis opinionem quam historiae fidem sequuntur.* Verumenimvero retorquere etiam posses Moshemii rationes, & sic ratiocinari: viros doctos, qui Pii volunt esse edictum, ea praecipue ratione in hanc adductos fuisse sententiam, quod viderent, tam praeclara & Christianis faventia verba, quae Edictum nostrum habet, minus commode moribus ac superstitioni Marci Antonini respondere, cujus sub imperio, quamvis caeterum philosophus esset,

aeque atrociter vexati fuerunt Chiſtiani, ac ſub Neronibus & Domitianis. Quod ſi ipſa authentia edicti probata magis eſſet, fateor, non diu anceps haererem, quin eandem amplecterer ſententiam, verum ubi tertium datur, mutatur controverſiae ſtatus, & rationes, quibus evincitur Marci non eſſe edictum, parum faciunt ad vindicandum illud Pio.

Sed age jam ipſa diſpiciamus argumenta, quae pro Pio militare videntur. Duo ſunt loca Eusebii, in quibus totus ſeſe vertit controverſiae hujus cardo. Primus ille eſt quem ſupra jam adduximus, ubi poſtquam edictum noſtrum recitavit, addit, Melitonem *Sardenſem Epiſcopum haec ita geſta eſſe in apologetico, quem ad Imperatorem Marcum conſcripſit, teſtari.* Confectam rem eſſe diceres luculento hoc teſtimonio, at, ipſum hunc Melitonis locum aſſervavit nobis Eusebius *a*) in quo cum nullum hujus epiſtolae appareat veſtigium, inde juſta ſuſpicio oritur, Eusebium aut non rite attendiſſe verba Melitonis, aut haec aliquantum feſtinantius pertractaſſe. En Melitonis verba ad Marcum Aurelium: *Soli*, inquit, *ex omnibus Nero ac Domitianus religionem noſtram criminari ſtuduerunt, verum imperitiam eorum correxerunt piiſſimi parentes tui frequentibus reſcriptis, objurgantes eos qui adverſus religionis noſtrae homines novi aliquid moliti eſſent;* (ὅσοι περὶ τῶν νεωτερισαι ἐβολμησαν) *inter quos avus tuus Adrianus cum aliis pluribus, tum Fundano Aſiae Proconſuli litteras dedit. Pater quoque tuus ſcripſit ad civitates, ne contra nos aliquid innovarent;* (περὶ τοῦ μηδὲν νεωτερίζειν περὶ ἡμῶν) *praeſertim ad Lariſſaeos, ad Theſſalonicenſes, ad Athenienſes, ad univerſos denique Graecos. Haec*, ut ait Eusebius, *in Melitonis libro leguntur.* Non itaque legebatur in eodem Melitonis libro edictum, quod Eusebius refert; neque etiam Eusebius, qui diſertis verbis teſtatur ſe

a) IV. 26.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0030
DFG

Adriani reſcriptum ex JUSTINO deſumſiſſe, ſimiliter dicit ſeſe illud Pii a MELITONE mutuatum eſſe. Scilicet legerat in MELITONE, Antoninum Pium ſcripſiſſe ad civitates, ne contra Chriſtianos tumultus excitarent, dein vero, nam & bonus quandoque dormitat Homerus, uſurpat per errorem pro deperdita hac Antonini epiſtola noſtram, quae, ſi inſcriptioni quam prae ſe fert fides aliqua habenda, neceſſario Marci eſſe debuit. Non negamus, eam eſſe recenſionis Euſebianae ſeriem, ut eidem Imperatori, cui JUSTINI apologiam nuncupatam eſſe ait, qui Pius eſt, EUSEBIUS noſtrum quoque Edictum adſcribat; dicimus vero, EUSEBIUM, cum ad MELITONEM ſimul provocet, & MELITO in ſua reſcriptorum de Chriſtianis recenſione praeclaram hanc Antonini epiſtolam ne verbo quidem attigerit, cum caeteroquin vel titulus reſcripti eum refellat, haec non ex MELITONE hauſiſſe, ſed aliunde repetiiſſe, oſcitanter totam hanc rerum geſtarum ſeriem enarraſſe, & hic, quid enim multa, uti in aliis hiſtoriae ſuae locis, humani aliquid paſſum eſſe.

Quid autem faciunt, qui Pii contendunt eſſe edictum, ut ex hiſce dumetis & difficultatibus ſeſe expediant? in clamores tragicos erumpunt, omnia undique quae poſſunt congerunt, ut ſuis placitis opem ferant, novas hypotheſes condunt, inauditas interpretationes fingunt: bona verba quaeſo, equidem non ad exclamationes inanes ſed ad argumentorum pondera omnem litem judicandam eſſe exiſtimo. EUSEBII, ajunt, *autoritatem maximi debere eſſe ponderis:* — utique; verum nonne inſcriptio, quam idem ille EUSEBIUS exhibet, etiam erit EUSEBII auctoritas? & ſic quidem EUSEBIUS ab EUSEBIO refutatur. Nonne MELITONIS auctoritas, quem haec narrare affirmat, qui tamen harum rerum nihil narrat, major etiam erit illa EUSEBII? — *Veroſimile non eſſe, adeo ſtupidum fuiſſe* EUSEBIUM, *ni eum omni fide indignum pronuntiare velis, ut*

quae ipse refert tanquam a Pio gesta, eadem tamen Marco adscribat; inscriptionem itaque necessario non ab EUSEBIO, *sed ab aliena manu adjectam fuisse.* — Sed hoc est secare nodum, non solvere: neque enim hujus interpolationis ulla occurrunt vestigia, neque haec conjectura alio fundamento nititur, nisi ut EUSEBIUS secum ipso concordare, atque fides ejus salva & inconcussa stare possit; quasi inauditum hoc ac novum plane sit, scriptorem, dum currente calamo res gestas refert, simul etiam mente forsan in alienas cogitationes abreptus est, miscere interdum rerum ordinem, oscitari, & hinc inde sibi ipsi non constare. Quis autem eum, quod animadversionem jam incurrat, fide omni indignum statim pronuntiabit? Erravit, errare vero humanum est. Eo minus autem dici poterit, librariorum illepida diligentia factum esse, ut genuinam lectionem loco suo detruderent, cum nulla ratio talis adesset consilii, &, si epistola olim apud EUSEBIUM Titi nomen in fronte habebat, lectio haec nexui narrationis Eusebianae optime responderet. At regerunt, *apud* JUSTINUM *expresse hoc edictum Pio tribui.* — Verum plures interpolationes non ferendas eadem haec epistola apud JUSTINUM exhibet, quae si aeque pro genuina lectione habendae essent, mox certe tota res confecta foret; tunc enim vel coecus videret, epistolam a capite usque ad calcem non esse ethnici Imperatoris scriptum, sed Christiani figmentum. Scilicet, inscriptionem ex JUSTINO, reliqua ex EUSEBIO. Quid autem? ignotum plane est, quo tempore & a quo viro haec epistola apologiae sancti martyris addita fuerit, cum e contrario RUFINI versio testetur, jam inde ab EUSEBII temporibus in historiae ejus codicibus vulgarem lectionem obtinuisse: num itaque quae ab incerta & dubia manu nobis tradita sunt, anteferenda erunt testimoniis disertis, & quidem nullam aliam ob causam, nisi ut inauditum hoc portentum ac vix creditu facile removeatur,

moveatur, EUSEBIUM nempe heic errare potuisse. Quod si conjecturam proferre ausim, (neque enim majus ipsi pretium constituo) ratio quaedam, ut mihi videtur, dari potest, quare inscriptio apud JUSTINUM Titum, non autem Marcum, referat. Legerat quippe, qui hac epistola JUSTINUM ditavit, sive etiam librarius, qui ad eam emendandam deinde accessit, vel apud ipsum EUSEBIUM, Titum Antoninum ad Commune Asiae rescriptum dedisse; quum vero videret nexum verborum EUSEBII repudiare vulgarem lectionem, immutavit illam; majorem enim habet veri speciem inscriptionem apud JUSTINUM emendationem esse, quam illam apud EUSEBIUM, quae contextui prorsus repugnat. Quod si eo demum tempore ad calcem apologiae JUSTINI addita fuit epistola, quo & spuriae illae Marci litterae adjectae fuerunt, tunc dixerim eam praecipue ob causam librarium quendam adductum fuisse, ut hanc epistolam Tito tribueret, quod jam Marci epistola quaedam aderat, hoc vero pulcerrimum esse sibi persuaserit vir bonus, secundum trium Imperatorum seriem, tot etiam eorundem principum edicta Christianis faventia posteris tradere. — Pergunt autem; *quisquis ille fuerit, qui edictum JUSTINO subjecit, neminem tamen unquam demonstraturum esse, eum verum edicti auctorem scire non potuisse.* — At certe, liceat enim mihi iisdem iterum verbis ad haec respondere: quisquis ille fuerit, qui edictum JUSTINO subjecit, nemo tamen unquam demonstraverit, necessario eum oportuisse verum edicti auctorem cognitum habere. -- *Pium*, inquit *MARANUS, Adrianum solum potuisse appellare parentem suum.* Sed fallitur MARANUS, nam Marcus diserte Pium patrem suum dicit *b*). MELITO quoque Pium Marci patrem vocat. -- *Terrae motus quorum edictum meminit*, inquit *MOSHEMIUS, clarissime ostendere, Antonini Pii esse edi-*

b) MARC. ANT. *de rebus suis I.* §. 16. *coll.* §. 2.

ctum, ipsius enim tempore terrae motum contigisse quo, teste CAPITOLINO c) atque PAUSANIA d), Asiae oppida conciderunt. Verum & Marci tempore hujusmodi calamitates orbem Romanum afflixerunt, & Smyrna, teste ARISTIDE, terrae motu fere prorsus eversa. Instat autem MOSHEMIUS & urget, *credibile non esse, necesse fuisse ut* MELITO, *cum suam Marco exhiberet apologiam, justitiam & clementiam principis iterum pro Christianis imploraret, si prius illud edictum Antonini Philosophi fuisset.* Verum etiam necesse non est, ut antequam MELITO apologiam suam obtulit, edictum hoc promulgatum jam fuerit, quippe nihil impedit quominus inscriptione semel rejecta vel ad ultimos annos imperii Marci Aurelii collocare illud possis. — Vult tandem HEGELMAJERUS, *apparere* MELITONEM *non omnia Antonini rescripta recensere voluisse;* insequentibus autem verbis mutata sententia addit; *verosimile esse, nostrum edictum ad Commune Asiae illud ipsum esse quod* MELITO *ad omnes Graecos missum fuisse ait.* At ubi verba MELITONIS propius ponderaveris, apparet certe, hunc scriptorem in id praecipue intentum esse, ut omnia Christianis faventia congerat; inde etiam declamatorem potius quam historicum agit; quippe, si eum audias, Christiana religio faustum Imperio Romano extitit omen & ab eo tempore quo orbi illuxit nil adversi, sed prospera omnia & magnifica ex animi sententia votoque omnium contigerunt. Recenset dein in hunc finem Adriani atque Pii rescripta, ita ut non facile persuadere tibi possis, eum illud noviſſimum omissurum fuisse edictum, quod prae reliquis omnibus, quae afferre poterat, argumentis rem Christianorum maxime commendabat. Quod autem ad istud attinet, verba nimirum προς παντας ἑλληνας unum idemque significare ac illa, προς κοινον της Ασιας, dixit quidem haec HEGELMAJERUS, at non probavit, de quo

c) *Cap.* 9. d) Edit. KUHN. p. 689.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0034
DFG

tamen praecipue agebatur. Nam ut hoc jam mittam, vel primo intuitu patere, MELITONEM de Graeciae urbibus ſolummodo cogitaſſe, quas vero, ne prolixiorem earum recenſionem condere opus habeat, paucis iſtis verbis comprehendit, *ad omnes denique Graecos;* ipſa etiam verba, quae recitat, docent, ea ad noſtrum edictum prorſus trahi non poſſe. Refert nimirum, Pium Graecis reſcripſiſſe, *ne contra Chriſtianos aliquid innovarent;* at diverſa plane ab his in noſtro edicto reſcripſit Pius. Sed ut rite verborum horum ſenſum definiamus, hic neceſſario paullo altius repetenda nobis res eſt.

Nimirum cum Trajanus reipublicae gubernationi admoveretur, nullae aderant in Chriſtianos leges & edicta, niſi illa quibus omnis peregrina religio vetita erat. Ponit hoc extra dubium celebrata illa PLINII epiſtola; vir certe juris & conſuetudinum Romanarum conſultiſſimus non ignoraſſet, ſi privatae quaedam leges in Chriſtianos extitiſſent. Quatuor autem modis cognitio tunc temporis inſtituta fuit de Chriſtianis *e)*; primo quidem, deferendo & arguendo, & per nominationem ab indice; hic vero proceſſus, utraque parte pro tribunali conſtituta, legitimus erat, neque a Trajano repreſſus fuit. Verum & conquirendo atque libellorum propoſitione ſine actore cognitiones inſtituebantur: conquirendo, cum Irenarchae, qui Praeſidum inquiſitioni ſerviebant & ad flagitioſos homines conquirendos conſtituti erant, Chriſtianos tanquam ſacrilegos atque latrones ad tribunalia raperent: libellorum propoſitione ſine actore, quum curioſi, calumniatores, iſtiuſque modi homines (quae peſtis, mutato reipublicae ſtatu poſtquam in politicis imperii arcanis haberetur, fictis criminationibus optimum quemvis e medio tollere, civium fortunas invaſerat,) anonymis libellis

e) *Vid.* BALDUIN. & BOEHMER. *diſſertat. Juris Eccleſ. Antiq. VI.*

Christianos cognitioni magistratuum sisterent. Quum itaque PLINIUS videret, hunc in modum infinitam multitudinem vocatam fuisse in periculum, de hac re retulit ad Trajanum; Trajanus vero, qui istam sycophantarum faecem & illegitimas accusationes oderat, rescripto obscurorum delatorum insidiis eripuit Christianos, at privatam accusationem non vetuit, illosque puniri jussit qui ab accusatore rei agerentur *f*). Difficiliores autem erant accusationes privatae & inde rariores, sive quia nimis odiosae, sive etiam, quoniam si quis falso aliquem accusasset vel accusatus veri licet nominis Christianus negare se Christianum sustinuisset, tunc accusatori poena subeunda erat: abhorrebant itaque multi a privata accusatione propter subscriptionis periculum. Neque vero illa Trajani verba, conquirendos non esse Christianos, ita mihi intelligenda esse videntur, quasi iis omnem inquisitionem prorsus sustulisset, addit enim, in universum aliquid quod certam formam habeat constitui non posse; ut inde dixerim, eum provinciarum Praesides, non tam a potestate, quae libera ipsis relicta fuit, quam a necessitate talis inquisitionis absolvisse.

Ut ad Trajanum PLINIUS, sic Granianus Asiae Pro-

f) Non poterant Romani principes edictis plebis petulantiam non coërcere; neque vero mandata illa, quibus judicia ad legitimam accusationem revocabantur, Christianorum praecipue in gratiam data fuerunt, verum potius quia jus Romanum illud postulabat. *Vid. Actor. XXV*, 16. & GROT. *in h. l.* Vanis enim populi vocibus & catalogis ab auctoribus ignotis confectis, ii etiam vocabantur in periculum, quos aliquis oderat acerbius, vel temere suspectos habebat. Multi, inquit PLINIUS, arcessiti negabant, atque simulacris deorum & imagini principis supplicabant. Non verosimile est omnes istos, qui ita repente Christiano nomini valedicebant, hoc ante professos esse; dixerim multos eorum fuisse homines non malos, qui, licet gentiles forent, benignius tamen de Christianis sentiebant, & cum servatos eos quam perditos mallent, propter hanc placidiorem animi indolem, invidiam sibi apud fanaticos & superstitiosos homines comparaverant.

conſul ad Adrianum retulit, quod in provincia de Chriſtianis eorumque cauſa compererat. Repreſſerat quidem Trajani reſcriptum calumniatorum audaciam, verum non reſtinxerat illam odii publici flammam, qua Chriſtianorum innocentia conflagrabat, multique volebant, licere ſibi irruere in Chriſtianos, ut in homines ſacros, qui impune occiderentur. Sacerdotes ethnici praecipue, devotam ſibi habentes plebem patriae religionis ad furorem uſque ſtudioſam, quod deſolata viderent templa, rariores venirent victimae, Praeſides vel invitos interdum, precibus, acclamationibus permovebant, ut tumultuarie Chriſtianos ad necem raperent. Vetus enim, uti obſervat VALESIUS, fuit conſuetudo in imperio Romano, ut plebs, tum in urbe tum in provinciis, quoties ad publica ſpectacula convenerat, quidquid libitum erat vel a Praeſide, vel ab Imperatore junctis precibus poſtularet. Hic autem procedendi modus quum illegitimus eſſet, Adrianus ſecutus morem majorum, merito Graniani ſucceſſorem monet, ne hujusmodi poſtulationibus ad caedes Chriſtianorum ſeſe adduci patiatur. Eadem fere reſcribit, quae Trajanus *g*); vult cauſam pro

g) BALDUINUS, CLERICUS, LARDNERUS, JORTIN, aliique nimis generalia & ambigua volunt eſſe haec Adriani verba, Chriſtianos nempe tantum puniendos eſſe, ſi quis probaverit eos contra leges quidquam egiſſe; unde ſibi perſuadent, Praeſides ampliſſimam nactos eſſe facultatem, non tam vexandi Chriſtianos quam iis parcendi. Sed juſto mitiorem verbis Imperatoris ſenſum affingere mihi videntur, quum vel ipſa temporum horum hiſtoria nos edoceat, etiam poſt illud reſcriptum, Chriſtianos paſſim nullius delicti, verum unius religionis cauſa de medio ſublatos fuiſſe, & ne unicum quidem hujus ſaeculi monimentum ad nos pervenerit ex quo conſtet, nomen aliquando veniam impetraſſe. TERTULLIANUS, in ſuo ad Scapulam libro, data opera id agit, ut ad leniendum hujus viri animum, omnia illorum Praeſidum exempla congerat, qui mitius in Chriſtianos conſuluerant. Ait, quosdam diſſimulaſſe ab hujuscemodi cauſis; alios dediſſe Chriſtianis remedium quomodo reſponderent ut dimitti poſſent; alios ſciſſo elogio negaſſe ſe aduturos homines ſine accuſatore,

tribunali tractari, reos audiri, inficiantes convinci, convictos puniri, si non convincantur, accusatoribus calumniae poenam justissimam irrogari: respuit saevitiem illam barbaram atque confusam, sine ulla juris judiciorumve specie; tunc demum puniri jubet Christianos, si accusator probaverit eos contra leges quidquam egisse, hoc est, revera Christianos esse *h)*. Neque enim alia requireba-

secundum mandatum, illud ipsum, uti videtur, Adriani mandatum. Nonne vero inde patet, hujus Principis rescriptum repudiare istam virorum doctorum interpretationem qua volunt, contra leges quidquam agere & Christianum esse, res prorsus diversas esse. Vides enim Praesides, qui benignius de Cristianis sentiebant, ubi salvos eos fieri volebant, coactos fuisse ita interrogationes suas instituere, ut reus responsionem illam letalem, qua Christianum sese profiteretur, effugeret; quod certe non feciissent, si ita vagus fuisset sensus legis Adriani, ut accusatum, quamvis Christianum sese dixisset, pro arbitrio tamen vel damnare vel dimittere potuissent.

h) Christiani certe, si quid praeter leges fecerant, ut reliqui cives poenas dederunt: de hoc ergo supervacaneum erat ut Adrianus rescriberet, neque enim haesitarunt unquam Provinciarum Praesides, quid in tali re statuendum ipsis esset. Alia igitur interpretatione locus hic indiget. Nimirum ubi de Christianis sermo est, sermo simul est de toleranda vel proscribenda peregrina religione atque sacris quae publice recepta non erant. Respondet Adrianus, ex praescripto legum tales causas judicandas esse, puniendos esse homines, si quis probaverit eos contra leges quidquam egisse. Notissimae vero sunt istae leges, quales illae *deos peregrinos ne colunto; separatim nemo habessit deos neve novos, sed ne advenas nisi publice adscitos privatim colunto*: (*Vid.* CICERO *de Leg.* L. II. c. 8.) Sic Maecenas suadet Augusto, peregrina sacra esse arcenda, non modo deorum gratia, sed quod cum peregrinis sacris peregrinae etiam leges adsciscantur & inde nascantur coitiones & tumultus. *Dii immortales*, inquit DIOCLETIANUS *in rescripto contra Manichaeos, ordinare dignati sunt quae bona & vera sunt, quibus nec obviam ire nec resistere fas est; neque reprehendi a nova vetus religio debet, maximi enim criminis est retractare, quae semel ab antiquis tractata & definita sunt.* (*Vid.* BALDUIN. & BYNKERSHOECK *de Religione peregrina.*) En itaque leges illas, a quibus publicam pendere salutem Romani sibi persuasum habebant, quaeque non poterant non esse gra-

tur poenae causa, nomen semper puniebatur in Christianis, quod testantur perpetuae Apologetarum querelae.

Verum enimvero quum in hac causa facilius esset Principi jus praescribere, quam judicibus illud tueri, atque coeci plebis impetus non ita facile legibus coërceantur, factum est saepius ut multitudo irrueret, vim pro jure intentaret, quamobrem & Antoninus rescripsit, ne quid innovaretur, scilicet ne judicia tumultuarie exercerentur, neve temere crederetur elogiis, sed ut Christianorum causa ad usitatam judiciorum legem judicaretur. Erat enim hoc νεωτερίζειν, contra veterem judiciorum ordinem homines vel noxios, sine ulla legitima accusatione, capitis damnare. Quantum itaque ex MELITONIS verbis colligi potest, eadem rescripsit Antoninus, quae Trajanus atque Adrianus ante jam statuerant; inde vero aperte sequitur, hujus Imperatoris verba ad nostrum edictum prorsus non pertinere, quippe in eo non tantum vetat Antoninus νεωτερίζειν aliquid contra Christianos, verum ipse novum

ves religioni Christianæ. Huc accedebat, quod aliam quoque ob causam legum animadversionem incurrerent Christiani. Vetuerat nempe Trajanus, propter seditionis metum, ἑταιρίας & privata collegia, annumerabantur vero Christianorum coetus illicitis collegiis, quae cum non toleranda esse putarent provinciarum Praesides, inde quotidianam nanciscebantur occasionem disturbandi Christianos, ac puniendi eos velut contemtores legum; quamobrem iis etiam CELSUS *apud* ORIGENEM ab initio statim operis sui hoc crimini dat, quod contra Principum leges privatas synaxes celebrarent. His rite consideratis constare mihi quidem videtur, neque ambigua neque obscura esse verba rescripti ADRIANI, atque synonymas has voces esse, Christianum esse, sive contra leges quidquam agere. Unusquisque facile videt, ad Christianos vexandos novis & in hunc praecipue finem datis legibus plane opus non fuisse, quum jam ab antiquis temporibus tot leges contra peregrinas religiones, nocturna sacra atque multitudinis coitiones suspectas pronuntiatae essent. Idcirco etiam PLINIUS antequam ad Trajanum de Christianis retulisset, multos tamen interea temporis duci jusserat, & quidem secundum legem.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0039
DFG

& inusitatum jus constituit. Quum enim ad ejus usque tempora Christiani ubi convicti essent, & poenitentia, hoc est, abnegatione veniam impetrare nollent, ad supplicium ducerentur, Antoninus hanc legum severitatem tollit atque vult delatos, etsi constet eos revera Christianos esse, nihilominus omni crimine absolvi, quod certe MELITO, frigidis his verbis μηδεν νεωτεριζειν significare voluisse, non censendus est.

Supra jam adnotavimus, inscriptionem, ob tertium quem refert consulatum & Armenici titulum, minus commode in Titum cadere; cui addere adhuc possis, quae Antoninus de Adriani epistola habet, vix ad hujus Principis rescriptum quod hodienum supereſt, referri posse. Ait nimirum, divum Patrem mandasse provinciarum rectoribus, Christianos nulla molestia afficiendos esse, nisi contra statum Imperii Romani aliquid moliri viderentur; at de hoc nihil habet Adriani rescriptum, nisi forte contendere velis Christianum esse, & contra Imperii Romani statum aliquid moliri unum idemque significare: Christianos tantum vulgi acclamationibus, obscurisque calumniatorum insidiis eripit, verum non liberat eos criminali & legitima accusatione, atque capitis damnabantur secundum Adriani mandatum, quotiescunque ab actore ob religionem quam abnegare recusabant, in judicio rei peragebantur. Sequitur inde Pium talia de patris sui mandato affirmare non potuisse, & ideo edictum nostrum Pii non esse. Levissimi ergo ponderis sunt omnia illa argumenta, quibus Tito Antonino edictum nostrum vindicare annituntur. Videamus jam, num meliorem causam tueantur, qui Marcum Aurelium auctorem ejus esse contendunt.

§. VII.

§. VII.

II.

DE MARCO AURELIO.

De anno ſtatim controverſia orta eſt inter viros eruditos, qui edictum noſtrum Marco adſcripſerunt. Valesius ſub initia imperii Marci anno 161; Pagius anno demum 169, datum illud fuiſſe contendunt. Et quidem recte monet Valesius, erraſſe Eusebium Antonino Pio epiſtolam tribuendo, cum tamen inſcriptio ipſa Marcum referat; anno vero 161 datam fuiſſe ex Tribunitiae poteſtatis numeris conſequitur, qua anno 147 donatus fuerat Marcus. At non attendit Valesius, in eadem inſcriptione etiam Armeniaci titulum legi, hunc autem Marco non tribui, niſi quando Trib. Pot. XVIII. geſſit. Sic & nulli terraemotus, quorum tamen edictum meminit, hoc ſane tempore contigerunt; Melito quoque, ſi lex quaedam pro Chriſtianis rogata fuiſſet, hanc certe, perſecutione de novo exardeſcente, Imperatori in memoriam revocaturus fuiſſet; neque etiam veroſimile eſt, Marcum, qui tam egregias laudes Chriſtianis impertit, paullo poſt, neſcio qua ex cauſa, ita repente animum ſuum mutaſſe, ut eos opprimi non ſolum ſineret, ſed & juberet.

Animadvertit haec dubia Pagius, quae ut, ex parte ſaltem aliqua, removeret, ſecutus eſt calculum Auctoris Chronici Alexandrini. Hic, Priſco & Apollinario Coſſ. anno Chriſti 169, tradit Melitonem alioſque Epiſcopos apologiam pro Chriſtianis Marco Aurelio obtuliſſe, & Marcum ſupplicationibus eorum permotum ſcripſiſſe epiſtolam ad Commune Aſiae, qua vetuit ne quis in poſterum Chriſtianos religionis cauſa calumniaretur. Quum autem Marcus anno 169. Trib. Pot. XXIII. geſſerit, neceſſario inde Pagio dicendum fuit, tam in Eusebio quam

in CHRONICO ALEXANDRINO male legi το πεμπτον και δεκατον, & commutanda esse haec verba cum illis το τριτον και εικοστον. At nullo auctore haec emendatio suscipitur, neque etiam, cum de authentia epistolae non satis nobis constet, dici potest, emendationem qualemcunque absolute necessariam esse. Porro anno 169 non tantum Armeniaci, sed & Parthici titulum gessit Marcus, quem itaque epistola, si hoc demum anno scripta fuit, aeque ac illum Armeniaci deberet in fronte habere. Ex EUSEBII silentio, qui tamen valde copiosus est in MELITONIS laudibus, sequitur, eum prorsus ignorasse, edictum nostrum apologiae hujus viri deberi: neque etiam hoc tempore terrae motus ulli contigerunt, qui demum sub exitum imperii Marci Asiae quaedam oppida everterunt: persecutiones quoque eodem tempore non solum non sedatae, sed & latius quam ante grassatae sunt. Quod si ad ultimos Marci annos tibi forsan collocandum esse videatur, iterum in titulum epistolae impingis, insanabilem plagam, vel ob Tribunitiae potestatis numeros, vel ob Armeniaci nomen, quippe, postquam Lucius Verus diem suum obiit, Marcus reliquis omnibus nominibus repudiatis solum Germanici titulum retinuit.

§. VIII.

Verum & aliae rationes praesto sunt, quae, Marco Aurelio edictum ad Commune Asiae prorsus abjudicandum esse, manifeste ostendunt. Scilicet valde superstitiosus fuit Marcus ille *a*) Philosophus, ut vel ipsi gentiles *b*) δεισιδαι-

a) Lubens sententiae LARDNERI subscribo, qui hoc de Marco judicium fert. *He was a bigot, to his religion as well as to his philosophy, and he had been so from his childhood*: quae etiam fere ad verbum de Juliano Imperatore praedicari posse mihi videntur.

b) CAPITOLIN. c. 13. *Tantus terror belli Marcomannici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus*

μονιαν ejus, a qua tamen alienum se esse profitetur c), riderent. Imitabatur Titum patrem, qui, ob vehementem antiquorum sacrorum amorem, alter Numa appellatus fuit. Praedicat ipse, quod ab eo didicerit in rebus semel decretis constantiam immotam, atque omnia secundum majorum instituta exequi. Abhorrebat ergo a rebus novis, tenax veterum rituum eorumque quae ex legum praescripto sancita erant. Inde etiam curavit, ut deorum cultus diligentissime restitueretur d). Quin imo Chaldaeos, Mathematicos adiit interdum, notissimoque nebuloni Alexandro

acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, retardatusque a bellica profectione sit. AMMIAN. MARCELL. L. XXV. c. 15. *in quem id accepimus dictum:* ὁι λευκοι βοες Μαρκω τω Καισαρι, αν συ νικησης, ἡμεις ἀπολωμεθα.

c) *De reb. suis I. §. 6.* „ *A Diogneto accepi, ne eis fidem adhiberem* (το ἀπιστικον) *quae a praestigiatoribus magisque de incantationibus, deque daemonibus averruncandis, aliisque ejusmodi impostoris dicuntur.* Verum inde non sequitur, excantatores ejusque farinae homines a Marco omnino contemtos fuisse. Annotavit MERICUS CASAUBONUS illam saepe esse vim verbi ἀπιστειν apud Graecos, ut tantum ea denotet quae nobis suspecta aliquantum sunt. Arbitratur, consentiunt vero cum eo MOYLIUS & LARDNERUS, verba haec intelligenda esse de exorcismis inter Judaeos & Christianos usitatis, & Marcum hic Christianos explodere voluisse. At quisquis jam sit verborum istorum sensus, nunquam aliquid facient ad probandum Imperatoris mentem ab omni superstitione liberam fuisse, ipsa vitae ejus historia contra hanc sententiam reclamante. Certum enim est, cum pestis vehementissime per totum orbem Romanum saeviret, nec humana & ordinaria remedia vim ejus expugnare valerent, eum nil veritum esse, ut urbem expiaret, vel ad magicas caerimonias confugere. (*Vid.* MOYLE *de Leg. Fulm. pag.* 804) Constat praeterea, saepissime verba atque facta unius ejusdemque hominis multum a se invicem discrepare, & esse qui dum summum numen irrident, suam ipsorum umbram metuunt.

d) CAPITOLIN. c. 21. *Instauravit publicum deorum cultum:* Christianos scilicet opprimendo, qui hoc unice agebant, ut ille destrueretur. Factum hoc est eodem tempore, quo tamen PAGIUS Edictum ad Commune Asiae datum fuisse contendit.

qui, ubicunque degebat, plebem contra Christianos excitabat, morem gerere non dubitavit *). Idem ille celebratus Philosophus diis suis gratias agit, ob remedia per somnia ipsi adversus sanguinis exscreationem ac capitis indicata vertiginem e).

Non solum vero a prima juventute putida superstitione imbutus fuit, inter Salios quippe sacerdotes educatus, verum & praeceptores insuper habuit, qui, cum infensissimi essent Christianorum hostes, non poterant non animum ejus magis magisque a nova religione alienum reddere; plurimum enim iis detulit, quod abunde vel ex CAPITOLINI historia, vel ex laudibus patet, quibus ipse illos viros extulit. Adamavit inter reliquos Rusticum f), Frontonem g) & Apollonium h): Rusticus Praefectus ur-

*) Vid. LUCIAN. *in Alexandro* n. 48.

e) *Vid. L I.* §. 17. *coll.* L. IX. §. 27. Multam fidem hoc & insequenti tempore somniis habitam fuisse vel DIONIS testatur historia. Conscripserat etiam Artemidorus quidam, qui sub Antoninis vixit, opus de somniis.

f) CAPITOLIN. c. 3. *Audivit & Junium Rusticum, quem & reveritus est & sectatus, qui domi militiaeque pollebat, Stoicae disciplinae peritissimum, cui etiam ante Praefectos Praetorio osculum dedit, quem & Consulem iterum designavit, cui post obitum a senatu statuas postulavit.* Rescriptum divorum fratrum apud ULPIANUM, in quo Caesarum amicus nuncupatur, Inscriptio apud GRUTERUM, & acta martyrii JUSTINI probant, eundem Rusticum Praefecturam urbis exercuisse. Nam valde exile est argumentum PAGII, Junium Rusticum Consulem non eundum esse posse, qui Praefectus urbi fuit, quod CAPITOLINUS ubi dignitates ejus enumerat, nullam hujus rei mentionem faciat. Quem enim Marcus apud CAPITOLINUM Consulem designavit, eum per plures honorum gradus antea decurrisse necesse est, quos tamen CAPITOLINUS non recenset. Hic Rusticus morte damnavit Justinum. Videtur autem Marcus a Rustico primo interpellatus fuisse, ecquid in Christianos animadverti oporteret; ei vero rescripsisse, delatos, siquidem sacrificare renuissent, capite esse plectendos, & quidem κατα την των νομων ακολουθιαν.

g) EUTROP. *L. VIII.* c. 11. *Latinas autem litteras eum Fronto orator nobilissimus docuit.* CAPITOLIN. c. 2. *Sed multum ex his Frontoni detulit, cui & statuam in se-*

bis poſtea factus JUSTINUM ejuſque ſocios morte mulctavit: Apollonius idem ille fuiſſe videtur, quem EPIPHANIUS Antonini familiarem vocat, & a quo Bardeſanem de fide deſerenda fruſtra ſollicitatum refert: Fronto librum conviciis refertum contra Chriſtianos conſcripſit. Hi erant illi viri, a quorum ore pendebat Marcus, quibus omnia ſeſe debere profitetur, quibuſcum privata atque publica communicabat conſilia. Ex praeceptis ac moribus magiſtrorum diſce ergo mores ingeniumque diſcipuli. Obſidebat praeterea Imperatoris palatia Philoſophorum garrula turba, quos Demonax apud LUCIANUM lepide pro more ſuo novos Argonautas vocat, quoniam ubique locorum ad regiam aulam adpellebant, quaſi vellus aureum hinc reportaturi. Iſti vero homines, auro tantum avide inhiantes *i*), vanitate inflati, non virtutis ſed famae cupidi, non tam veri amore, quam invidia ac intolerantia ſua conſpicui, ὃ φιλοσοφοι αλλα φιλοδοξοι, praejudicatiſque opinionibus occoecatam habentes mentem *k*), alte deſpiciebant quaecunque ad ſenſa ſcholarum, quibus unuſquiſque ſemet addixerat, accommodata non eſſent. Aſpernabantur Chriſtianos ceu ignobile & puſillum agmen *l*), to-

natu petiit. Diſcimus autem ex MINUCIO FELICE, hominem iſtum non erubuiſſe, Chriſtianos Thyeſtearum epularum & Oedipodeorum concubituum incuſare. *Non ut affirmator*, inquit *Octavius, teſtimonium fecit, ſed convicium ut orator aſperſit. p.* 9. *coll. p.* 35. *edit. Ouzel.*

h) CAPITOLIN. *c.* 3. *Tantum in eo ſtudium philoſophiae fuit, ut adſcitus jam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii diſcendi cauſa veniret.*

i) TATIANUS *c.* 32. *Nonnulli ſexcentos in annum aureos ab imperatore accipiunt, ad nullum utilem finem, ne ſcilicet vel barbam prolixam gratis alant.*

k) GALENUS *de different. pulſ. L. III. p.* 34. *Baſil.* 1538. Θαῦμον γαρ αν τις τῆς απο Μωϋσῆ και Χριϛῦ μέθοδου διδαξειεν, ἢ τῆς ταις αἱρεσεσι προσπέλεκοῦσας ἰδίᾳς τε και φιλοσοφῦς.

l) Vel ipſum mortis genus, quo plerique Chriſtianorum afficiebantur, probat, eos non uti cives ſed uti ſervos habitos fuiſſe, qui communi jure humani generis prorſus exciderant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0045
DFG

tamque litem judicatam esse existimabant, si novam religionem exitiabilem superstitionem, Christianorum constantiam obstinationem & inflexibilem pervicaciam esse, tanquam ex tripode pronuntiarent. Neque Marcus inter confessus talium virorum nihil profeciſſe videtur; quippe in celebri illo loco, ubi Christianorum mentionem injicit, eandem de iis sententiam fert quam uno ore *m*) omnes hujus temporis Philosophi proferebant. *Quam felix*, inquit *) *est ea anima, quae parata est, jam statim si oportuerit, e corpore migrare, & vel extingui, vel dispergi, vel permanere: paratam autem dico, ita ut a proprio judicio n) promptitudo haec profluat, non ab obstinatione mera o)*,

m) Probant hoc loca gentilium scriptorum quae BULLETUS (*Histoire de l'Etablissement du Christianisme tirée des seuls Auteurs Juifs & Payens*) atque LARDNERUS collegerunt. Non itaque erat quod de hoc Antonini loco LARDNERUS diceret: *I should say, that this is the basest reflexion upon the Christians, that i remember to have met with, among all their old enemies. It is insensibility and inhumanity, in a word, Stoicism.*

*) L. XI. §. 3.

n) απο ιδικης κρισεως. Nimirum philosophus ratione duce ac comite ad mortem proficiscitur; nescit enim, an animus ubi semel e corpore migravit, sive extinguatur, sive dispergatur, sive etiam permansurus sit. Christianus vero, qui fretus spe vitae melioris, mortem obit fronte tranquilla & serena, atque diis sacrificare recusat, quia nefas esse putat veritatem ejurare, is sine ratione moritur, ακ απο ιδικης κρισεως. *O gloriam licitam*, inquit TERTULLIANUS (*Apol. c. 50.*) *cui nec praesumtio perdita, nec persuasio desperata deputatur, in contemptu mortis & atrocitatis omnimodae; cui tantum pro patria, pro agro, pro imperio, pro amicitia pati permissum est, quantum pro Deo non licet. Et tamen illis omnibus & statuas defunditis, & imagines inscribitis, & titulos inciditis in aeternitatem: quantum de monimentis potestis scilicet, praestatis & ipsi quodammodo mortuis resurrectionem. Hanc qui veram a Deo sperat, si pro Deo patiatur, insanus est.*

o) μη καλα ψιλην παρελαξιν. Meram obstinationem, vertunt viri eruditi, ea forsan ratione inducti, quod haec obstinatio Christianis a gentilibus inprimis exprobrata fuerit. At verbum παρελαξις multo plus mihi videtur significare, quam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0046
DFG

pro more Christianorum p); sed ut mortem obeas consti-

nobis uno vocabulo per inopiam sermonis nostri licet efferre. Aciem denotat instructam & ad pugnam committendam paratam: φιλην παραταξιν autem velites significare existimo, qui tumultuarie magis quam composite in hostem irruebant. Vult itaque dicere Antoninus, Christianos non fortitudine virili & ratione suffulta, sed bruta quadam audacia, atque coeco impetu, quo leviter armati milites & gladiatores solent in supplicia praecipites sese dare, vitamque sine formidine ac ulla circumspectione contemnere.

p) Posset forsan aliquis dicere, non immerito Marcum tale judicium de Christianis facere; constare enim, haud paucos capitis poenam sibi accersivisse, quod imprudenti zelo commoti, sese sponte judicibus sisterent, atque sine ulla urgenti necessitate ad audacis mortis viam grassarentur. Verum advertendum est, immoderatum istum martyrii subeundi pruritum demum post Antoninorum tempora, ubi Montanistarum tristis secta incrementa ceperat, magis magisque invaluisse. Ante haec tempora spontanea martyria rarissime visa sunt, eaque semper praecipui ecclesiae doctores reprehenderunt, uti patet ex EPISTOLA ECCLESIAE SMYRNENSIS, ex CLEMENTE ALEXANDRINO & CYPRIANO. Praeterea locum habuerunt, persecutionibus jam commotis, ut itaque nullo cum jure dici possit, Christianos ipsos praecipuos suorum malorum fuisse artifices. Persuasum autem mihi habeo, haec Christianorum exempla certatim in mortem ruentium facile apud aequum & moderatum virum impetratura esse veniam, si perpendere velit, ea non semper ex enthusiasmo quodam omnis rationis experte, verum saepius ex justitiae & virtutis innato amore originem suam duxisse. Experimur quotidie, ubi vel nefandi cujusdam facinoris narrationem audimus, vel propriis oculis innocentiam a scelere impune oppressam videmus, tunc indignari nos, altum fervere in pectore virtutis amorem, non solum paratos nos esse ad opem innoxiis hominibus ferendam, sed & interdum ad quaecunque pro iis subeunda pericula. Non itaque video, quare tantopere mireris, vel etiam arguas, hunc vel illum Christianum, quum illos quibuscum arctissimo forsan amicitiae vinculo conjunctus erat, immaniter vexari animadverteret, suimet ipsius nonnunquam oblitum fuisse atque suum etiam caput judicibus, qui carnificinam potius quam judicium exercebant, obtulisse. Iniquum certe est, hoc in Christiano fanaticismum appellare, quod in quovis alio magni & fortis animi specimen dixisses. Ideo etiam non possum subscribere MOSHEMII sententiae, qui TERTULLIANI locum in *lib. ad Scap.* in quo enarrat, Christianos, quum Arrius An-

derate, compoſite, ut & alii perſuadere poſſis q) ſine tragica oratione r). Incertum quidem eſt quo anno Marcus haec

ominus in Aſia eos perſequeretur inſtanter, ante tribunalia ejus manu facta ſeſe obtuliſſe, ita commentatur, quaſi hi Chriſtiani intempeſtiva martyrum honoribus potiundi cupiditate conflagraverint, ac nimium moleſte tulerint, ipſis uti caeteris qui jam ad ſupplicium damnati fuerant, nullum accuſatorem obtigiſſe. Dixerim potius, hunc Chriſtianorum fervorem eam praecipue habuiſſe cauſam, quod inter tot ſuorum ſtrages exacerbati tandem fuerint animi, & vel ipſa mala quae unoquoque die capitibus eorum imminebant ſupra omnem malorum formidinem eos poſuerint. Non erat hoc ſponte mortem quaerere, ſed exprobrare Praeſidi Romano injuſtitiam ſuam ac crudelitatem. Manifeſte oſtendunt verba TERTULLIANI, perſecutione jam pridem coorta haec demum contigiſſe; primi Chriſtiani homines certe erant uti nos ſumus, vitae amantes, animas non projicientes; nec video, quare tot apologias conſcripſerint, ſi hoc unice in votis erat, ut martyrii coronam adipiſcerentur. Si itaque paucos inter eos enthuſiaſtas exceperis, reliqui certe ſponte ſua nunquam mortem quaeſiverunt; iniquum autem eſt toti familiae maculam inurere velle, quia unus vel alter juſtam reprehenſionem meritus eſt. *Plane volumus pati*, inquit TERTULLIANUS c. 50. *verum eo more quo & bellum nemo quidem libens patitur &c. vid. etiam* JUSTIN. *apol. II. num.* 4.

q) ὥστε καὶ ἄλλον πεισαι. Reſpondet ad haec TERTULLIANUS Apol. c. 50. *Crudelitas veſtra illecebra eſt magis ſectae. Plures efficimur quoties metimur a vobis: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum. Illa ipſa obſtinatio quam exprobratis magiſtra eſt. Quis enim non ejus contemplatione concutitur ad requirendum quid intus in re ſit? &c. & ad Scap. cap. ult.* JUSTINUS apol. II. *Num.* 12. teſtatur Chriſtianorum in perferendis cruciatibus conſtantiam, incitamentum ipſi fuiſſe ad amplectendum Chriſtianam religionem. Moriebantur itaque Chriſtiani, ὥστε καὶ ἄλλον πεισαι.

r) Conſtat ex toto hoc loco, cognitam fuiſſe Marco conſtantiam Chriſtianorum in obeunda morte pro religione quam profitebantur, hanc vero conſtantiam meram obſtinationem vocat, quamvis & inter gentiles laudem mererentur, qui mori malebant, quam quidquam facere quod inhoneſtum eſſe judicabant. Sic & noverat quanta cum conſtantia cruciatus quosvis perpeti & inter ſummos dolores, proximae beatitatis ſpe extra ſe rapti, fiduciam ſuam in Deum,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0048
DFG

haec conscripserit *s*); attamen ex hoc loco luculenter efficitur, nullam ab eo legem ad commoda Christianorum juvanda rogatam fuisse *t*). Quis enim sibi persuadere pos-

vitaeque contemtum declarare solerent. Haec autem iterum ridet vir Stoicus, christianam fortitudinem histrioniam tantum esse praedicat, neque ulla commiseratione dignos esse putat homines, qui gravitate neglecta, in ipsa morte non quietum illum & immotum vultum, quem Stoica praecipiebat disciplina, imo hilariorem (quis autem sapiens ferre hoc possit?) exhibebant. Hunc locum demonstrare quoque existimo, Marcum de innocentia Christianorum non dubitasse, nullamque fidem adhibuisse criminationibus, quae vulgo contra eos spargebantur. Equidem si revera profligatissimos ac perditissimos homines eos putasset, alium plane in modum de iis sermonem facturus fuisset.

s) MOYLIUS ex subscriptione primi & secundi libri & ex eo, quod saepius senectutis suae morborumque meminit Marcus, conjicit extremis vitae annis hunc ab ipso librum esse compositum. At ordo librorum & sectionum, qualis nunc exstat, valde turbatus mihi esse videtur, nec eo circiter tempore totum opus conscriptum fuisse mihi persuadere possum. Ad hanc me sententiam adduxit locus L. IX. §. 3. ubi gravidam esse suam uxorem Marcus dicit; ultimus vero filiorum, quem ex Faustina genuit, (filiae enim quas complures suscepit, filiis majores natu fuisse videntur) Verus fuit, natus anno 162. quod ex CAPITOLINO efficitur, qui sub ipsis profectionis diebus in Marcomannicum bellum, septimo aetatis anno, eum iterum demortuum dicit. Caeterum verosimilem esse credo sententiam MOYLII, constare nempe ex hoc dicto, tunc, quum in litteras referret illud Imperator, Christianos publice vexatos fuisse atque Antoninum martyrum supplicia ob oculos habuisse posita.

t) Vel ipsa Stoica disciplina, quam sequebatur Marcus, & quae etiam in jure civili dominabatur, permovere eum debuit, ut nil immutaret eorum, quae semel contra Christianos decreta fuerant. Stoici non ita facile deturbabant loco suo, quae a majoribus lege sancita erant, neque ad misericordiam & clementiam adeo proclives erant homines qui, ut CICERONIS verbis utar (*pro Muraena* c. 29.) tenebant, *sapientem gratia nunquam moveri, neminem misericordem esse nisi stultum, viri non esse neque exorari neque placari, omnia peccata esse paria, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum cum opus non fuerit, quam qui patrem suffocaverit, sapientem nulla in*

sit, Imperatorem, qui fortitudinem Christianorum nullam aliam habere causam praedicat, quam mentis quandam obstinationem & pertinaciam ratione ac judicio vacuam, eosdem in epistola sua iterum laudare, quod mortem videantur oppetere; eum jam dicere, in commodum ipsis cedere quod animas suas projiciant, qui tamen dixerat, esse hoc viri amentis, fanatici, omnis sapientiae nescii, omnis rationis expertis.

Quid autem? si legem nostram revera rogavit Marcus, quo tandem modo fieri potuit, ut vel invita hac lege Christiani in omnibus imperii provinciis gravissime vexarentur? Etenim non modo Galliae & orbis occidentalis regiones, verum & Orientis ecclesiae persecutionum furore exagitatae fuerunt, neque ullo sub principe ante haec tempora plures calamitates perpessi sunt Christiani ac sub Marco *u*). Satis hoc edocent tum illustria variorum sub eo consummata martyria, tum apologiae tunc temporis magno numero pro Christianis exaratae: grassata autem est haec pestis ad exitum usque Marci, qui dum viveret gravis semper atque saevus Christianis extitit. Diserte dicit Auctor Chron. Alex. Commodum tandem finem imposuisse persecutioni ecclesiae; eadem quoque Eusebius: sic & Theophilus, qui sub initiis Com-

re falli, sententiam mutare nunquam. Christiani praeterea jurisconsultos semper adversarios veterumque sacrorum vindices experti sunt. Hi vero, cum Principum consiliis non tantum interessent sed & praeessent, certe Christianorum causam non agebant, curabant potius, ut obviam iretur novis religionibus, ne quid res publica detrimenti caperet.

u) Quinquennalia, decennalia, quindecennalia, Caesarei, Proconsularis, Augustei imperii sive Marci, sive Lucii Veri, sive Commodi, sub Marco saepius celebrata. Neminem autem harum rerum peritum fugit, nullo tempore plus injuriarum & miseriarum oblatum fuisse Christianis, quam cum festi ejusmodi dies & solemnes ludi agerentur; quod abunde ostendit Pagius *in Dissert. Hypat. & in Critica Baron.* passim.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0050
DFG

modi scripsit, tradit nondum cessasse suo tempore persecutionem. Verum enimvero ut hanc labem a Marco abstergant, volunt omnes eas calamitates, quae Christianos eo tempore invaserunt, unice popularium incursioni & crudelitati Praesidum imputandas esse. Nimis bonum, ajunt, fuisse Principem philosophum, &, dum animum meditationibus philosophicis tantum pascebat, minus curiosum eorum quae in imperio gererentur; factum inde esse, ut judices, quisque pro arbitrio suo, impune ac turpissime Imperatoris leges violarent. At, non animum advertunt, qui suas Marco laudes ita asserere studeant, ut dicant mediocrem eum curam reipublicae administrandae adhibuisse, istis se laudibus multum contra detrahere; dein vero contradicunt etiam disertis Dionis & Capitolini testimoniis; ille enim affirmat, Marcum causis diligenter cognoscendis atque examinandis, quoties vacabat a bello, operam suam collocasse, animumque ad omnia applicasse quae ad principatum pertinerent; hic autem, horis omnibus reipublicae actis eum incubuisse *v)*, & in manifestos graviumque criminun reos inexorabilem fuisse *w)*, ut ita vix creditu facile sit, sive judices, homines tunc temporis in servitutem natos, qui ad principum arbitrium & nutum totos sese fingebant & accommodabant, Imperatoris refragari mandatis ausuros, sive etiam Imperatorem, impune hoc fieri, passurum fuisse. Scilicet, quis credat Commodo imperante, Principe dissoluto & omnis virtutis nescio, tranquillam fuisse Christianorum conditionem, (nulla licet nova lege pro iis rogata,) quoniam Marcia pellex eorum erat studiosa: sub Antonino vero, quem omnes amabant non minus quam reverebantur, leges solemnem in modum promulgatas nullius tamen momenti habitas fuisse? Vexationes quidem, quod lubenter damus, plerumque a rabie populari initia sua sumserunt, dein vero accusationes

v) Cap. 8.

w) Cap. 24.

illae vagae ad normam legum & ad fori consuetudinem revocabantur, & tunc certe secundum Edicti ad Commune Asiae tenorem non damnandi, sed dimittendi erant Christiani, quod tamen nunquam factum est. Ignorabat haec, ajunt, Marcus; ego vero, noverat: siquidem provinciarum Praesides de rebus gravioribus ad Principem retulerunt, cujus rei in PLINIO luculentum habemus exemplum. Non solum vero noverat; sed & ipse mandavit ut Christiani poenas darent. Meminit MELITO x) novorum

x) *ap.* EUSEB. *IV. 26. Impudentissimi delatores ex imperialibus edictis* (εκ των διαταγματων) *occasionem nacti, palam diu noctuque grassantur, spoliantque homines innoxios.* Subobscura sunt haec Melitonis verba, hinc quoque variis interpretationibus locum dedere. DODWELLUS (*dissert. Cypr. XI.*) διαταγματα ista de privatis tantum urbium decretis intelligenda esse contendit. Nimirum, si eum audias, cum Praefectorum Provincialium potestas edictis Imperatorum in favorem Christianorum editis esset coërcita, ad urbicos confugerunt magistratus, quorum animi jam a Christianis erant alieniores, & quibus proprias plerumque leges ac consuetudines Romani indulserant. Hi vero, etsi gladii jure carerent, & Christianos inde martyrio coronare non possent, potestatem tamen habebant, aliis eos incommodis afficiendi. Nempe in bona eorum irruebant, mulctis, exilio, hujusmodique vexationibus eos exagitabant. Diserte hoc testari MELITONIS verba, poenae capitalis nullam in hac persecutione mentionem fieri. Idem accidisse in Hellade. Non ipsos persecutionum auctores fuisse Imperatores, sed aliorum saevitia oppressis Christianis non utique subvenisse. ATHENAGORAE quoque verba, qui tantum queritur, Christianos ελαυνεσθαι, φερεσθαι, διωκεσθαι, proscriptionem quidem & exilium denotare, non autem mortis poenam & cruciatus. At non vidit DODWELLUS, sive potius videre noluit, eundem ATHENAGORAM diserte dicere: *neque enim ad pecunias tantum spectat inimicorum injuria, sed & corporibus ac vitae nostrae, postquam projecerimus pecunias, insidiantur.* Et in alio loco: *quo tandem aliquando mactari desinamus.* Sic quoque MELITO in eodem loco, quem consulto DODWELLUS truncavit, ait: *pro tua aequitate statuas, utrum supplicio ac morte affici, an salvi & securi degere mereamur.* In hac itaque persecutione, Christiani non bonorum tantum, sed & vitae di-

edictorum contra Christianos in Asia promulgatorum. In Lugdunensi vexatione Praeses, quae inchoaverat temere, non audebat persequi, nisi explorata ante Imperatoris voluntate: rescripsit vero Marcus, confitentes gladio esse caedendos y), qui negarent incolumes dimittendos: inci-

spendium patiebantur. Neque ad hoc novis edictis opus erat. Persecutionum tamen suasores Imperatores fuisse censendi sunt, cum Praesidum, qui de his rebus ad eos referebant, cruenta judicia adprobarent. MOSHEMIUS ex MELITONIS loco colligit, Imperatorem proprio motu nova edicta contra Christianos promulgari curasse. Magis tamen mihi arridet LARDNERI sententia, qui sic habet. „*I should rather think, there was no occasion for an edict of the Emperour, to put Christians to death. The case seems to me to have been this. Several, perhaps many Christians, have been put to death in Asia, at the importunity of the common people, and by virtue of Trajan's rescript. The Roman Proconsul in Asia was at a loss, how to dispose of the effects and estates of those sufferers. He therefore sent to the Emperour for direction in this affair. The Emperour wrote back, that their goods and possessions should be given to the accusers and informers. This resolution or edict, Melito says, was such, as was not fit to be enacted against enemies and barbarians. And he says to the Emperour; if this edict be yours, we will bear the reward of such a death. We will endeavour contentedly, to bear the loss of our goods, with wich others are rewarded for accusing us, and procuring our death. For certain, such encouragements would make persecutions frequent.*

y) Contendit DODWELLUS, cujus vestigia legit MOSHEMIUS, in persecutione Lugdunensi Christianos non tam ob religionem, quam ob atrocissima scelera, quorum accusati, & omnium sententia convicti quoque fuerant, poenas dedisse. Inde non esse quod miremur, clementissimum alioquin & mitissimum Principem rescripsisse de Christianis puniendis, ut proinde Marcus non tam Christiani nominis, quam infanticidiorum incestuumque, hostis habendus sit. At primo quidem coeperat persecutio, antequam hae criminationes Christianis aspergerentur; luculenter enim efficitur ex Epistola Ecclesiae Viennensis, multis jam comprehensis factum esse, ut milites servos quosdam incitarent ad incusandum Christianos talium nefandorum facinorum. Non itaque ob gravem hanc accusationem commota persecutio, verum potius, ex

dit haec Lugdunenſis calamitas in annum 177. Ex hactenus dictis abunde patet, quam inique Marcus de Chriſtianis ſenſerit, & quo jure Edictum ad Commune Aſiae ipſi tribuatur.

§. IX.

DE AUTHENTIA EDICTI.

De Authentia Edicti nobis dicendum jam eſt *a*). Et perſecutione flammas ſuas latius ſpargente, exortae novae illae accuſationes. Dein vero ipſum Imperatoris reſcriptum ſat aperte declarat, eum de accuſationis hujus veritate non dubitaſſe ſolum, ſed & ne minimam quidem fidem ipſi adhibuiſſe. Reſcripſit enim Marcus, Chriſtianis religionem ſuſceptam dimittere nolentibus haud dandam eſſe veniam, redeuntibus vero ad majorum ſacra ignoscendum eſſe. Quis hic perſuadere ſibi poſſit, Principem ſi revera exiſtimabat, Chriſtianos, omnium, quorum accuſabantur, ſcelerum reos eſſe, litem ita judicaturum fuiſſe? ubinam gentium homines atrociſſimorum facinorum convicti veniam unquam ex poenitentia impetrarunt? Quis credat Thyeſteas epulas, infantium caedes, promiſcuos concubitus impune fieri potuiſſe, ſi quis modo deinde per genium Caeſaris juraſſet? Abſolvendi potius erant illi, qui inter ſummos cruciatus conſtanter pernegabant, hujusmodi crimina ab ipſis patrata fuiſſe, & ad ſupplicia rapiendi erant, qui tormenta reformidantes haec vera eſſe fatebantur, atque Chriſtianae religioni nuntium ſimul mittebant. Certe, ſi ex magiſtratuum opinione Chriſtianum eſſe perinde erat, ac omnium iſtorum criminum reum eſſe, nil aliud ſupererat, niſi ut judices de Chriſtianis, qui ſe tales eſſe ſive fuiſſe affirmarent, ſupplicium ſtatim ſumerent. Tantum vero aberat ut hoc facerent, ut potius, quo conſtantiores eos in confitendo experiebantur, eo crudelius omni tormentorum genere in eos ſaevirent, ut ad inficiationem compellerent: quod profecto idem erat ac ſi homicidam, adulterum, furem, qui iſtorum ſcelerum convictus eſt, ea quoque ipſe fatetur, cruciatibus ad diffitenda iſthaec crimina velles adigere, ut hac ratione promerito ſubduceretur ſupplicio. Colligo itaque ex hac praepoſtera judiciorum ratione, quae tantopere etiam a priſcis fidei noſtrae defenſoribus gentilibus exprobratur, judices hujusmodi furfuris accuſationibus nullam prorſus fidem adhibuiſſe neque ob talem cauſam Chriſtianos unquam morte damnatos fuiſſe. *Vid.* KORTHOLT *in not. ad Juſtin. Apol. I. p. 3. ed. Grab.*

a) Iſtud jam pro certo quaſi ha-

hic quidem, cum mea certe parum interſit, ſive genuinum ſive ſpurium illud ſit, eo majori cum fide atque diligentia omnia afferam, quæ in utramque partem diſputari poterunt, ut aequus deinde lector judex ſedere atque perorata lite ſuam quisque ſententiam pronuntiare queat. HEGELMAJERUM praecipue ſequar in proponendis illis rationibus, quae pro edicti authentia militare videntur, magnum enim hujus cauſæ patronum egit, atque, quantum ego quidem vidi, omnia ea congeſſit, ad quæ vulgo provocare ſolent. Scilicet, ſi eum audias, non ſolum EUSEBIUS, ſed & OROSIUS, AUCTOR CHRONICI ALEXANDRINI, ZONARAS atque NICEPHORUS *b*) fidem faciunt, ab uno vel altero Antoninorum Edictum ad Commune Aſiæ datum fuiſſe: ſequi inde, Edictum, quod EUSEBIUS exhibet, iis temporibus pro authentico habitum, nec inventos eſſe, qui contradicerent. Illud præterea tale eſſe, ut tum hiſtoriis illius temporis, tum moribus Imperatoris Antonini Pii apprime conveniat: maximam eſſe auctoritatem EUSEBII, præſertim ubi erroris eum convincere nequeas: nullum compilatorem auſurum fuiſſe, poſt ducentos circiter annos edictum imperatorium confingere, vel ab alio confictum pro publico documento proponere, quod nunquam extitit, idque eo tempore, quo multi adhuc gentiles, iidemque chriſtianæ religionis obtrectatores acerrimi, paſſim magiſtratus gererent & tabularia publica ſub manibus haberent. Leves inſuper eſſe SCALIGERI rationes, quibus νοθείας maculam huic epiſtolae inurere conatus eſt; & hunc virum non tam argumentorum, quam nominis

bendum eſſe exiſtimamus, Marcum hujus edicti auctorem haud fuiſſe. Hic itaque praecipue diſquirimus, Pio ne jure aliquo adſcribi poſſit. Quae vero contra Pium faciunt, multo magis adhuc contra Marcum facere cenſenda ſunt.

b) NICEPHORUS edictum noſtrum Pio & Marco ſimul attribuit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0055
DFG

ſui pondere alios adduxiſſe, ut eam ceu ſpuriam rejicerent. Quæ inſuper HEGELMAJERUS affert, iis ut multum immoremur vix operae pretium erit. Nimirum, probabile eſſe apologiam JUSTINI a Pio Imperatore lectam fuiſſe, contrarium ſaltem demonſtrari non poſſe, facillime mitiſſimi Principis animum ad edendum hoc edictum flecti potuiſſe, & ſic porro: ubi enim de poſſe & non poſſe tantum diſputatur, nos quidem faciles ſumus & ultro largimur, tale edictum promulgari potuiſſe. Verum enimvero, cum a poſſe ad eſſe non valeat conſequentia, videndum jam nobis erit, num omnia haec argumenta, rite ponderatis iis quae contra dicuntur, nihilominus inconcuſſa ac firma permaneant. Et quidem lubenter concedimus, SCALIGERI rationes tenues omnino eſſe ac leviſſima opera refutari. Ex eo enim, quod JUSTINUS ipſe hanc epiſtolam apologiae ſuae non addiderit, quum tamen, ſi vivente JUSTINO reſcriptum datum fuiſſet, non dubium ſit, ſanctum martyrem hoc potius uſurum fuiſſe ad defenſionem ſui (quia ad Antoninum ipſum dirigitur Apologeticus) quam illo Adriani, colligit SCALIGER, hanc, uti illam Marci epiſtolam de Germanica ſiti extincta, ab hominibus inferiorum ſaeculorum confictam fuiſſe. Bene haec ſefe haberent, ſi extitiſſet tale edictum Antonini, antequam JUSTINUS agologiam ſuam exaravit; verum cum ſecundum vulgarem opinionem per ipſam hanc apologiam provocata demum ſit epiſtola noſtra, ſequitur inde, ſalvam eſſe poſſe ejus authentiam, quamvis a JUSTINO apologiae, quam Antonino Pio nuncupavit, addita non fuerit. Haec ergo leviſſimi momenti ſunt; at idem fere pondus mihi videntur habere argumenta illorum, qui epiſtolae noſtrae cauſam egerunt.

Excitant ſtatim teſtimonia non ſolum EUSEBII, ſed & OROSII, CHRONICI PASCHALIS, ZONARAE, NICEPHORI; vidit autem ipſe HEGELMAJERUS, recentiores iſtos ſcripto-

ſcriptores, ut totidem novos teſtes haud admitti poſſe, ex EUSEBIO ſua hauſerunt, & ſic tota haec teſtimoniorum farrago in unicam hujus ſcriptoris auctoritatem iterum coarctatur. Neminem vero fugit, EUSEBIUM, in Hiſtoria ſua aeque ac in Praeparatione Evangelica, varia credulitatis dediſſe ſpecimina, multos commentarios fictos pro veris & genuinis habuiſſe, atque ſaepius, quod commune ipſi eſt cum reliquis eccleſiaſticis ſcriptoribus, in dijudicandis veterum libris ac monimentis incaute & inconſiderate verſatum eſſe. Sic haec EUSEBII auctoritas, quam maximam eſſe debere nobis obtrudere volunt, paucos adduxit, ut exempli gratia Abgari epiſtolam, quam genuinam venditavit, genuinam quoque haberent: neque ſi vel hujus viri auctoritati illam TERTULLIANI addas, credo fore, ut aliquis ita facile ſibi perſuaderi patiatur, Tiberium, non tantum alienarum ſed & patriae religionis ſpretorem, de Chriſto ad ſenatum retuliſſe & ſervatorem noſtrum in deorum numero haberi voluiſſe. Attamen in his quas nobis dedit narrationibus, erroris convinci nequit, ſi ad hoc negotium iſtud requiras, ut a coaevis ejuſdemque ponderis ſcriptoribus diſerte contrarium doceatur: at nihilominus erroris convincitur, ſive ex re ipſa, quae ſub nulla veri ſpecie ſeſe commendat, ſive ex ſilentio antiquiorum ſcriptorum, quorum intererat talia commemorare. Vix autem video, quomodo ſerio affirmari poſſit, veroſimile non eſſe, hominem adeo impudentem futurum fuiſſe, ut edictum confingeret, cujus νοθεια facillime ab unoquoque fere in clariſſima luce collocari poterat; quis enim ignorat, hoc non obſtante, priora poſt Chriſtum ſaecula ſpuriorum ſcriptorum nimis felices proventus tuliſſe? Graſſabatur furor ille adulterina ſcripta fingendi inter gentiles aeque ac Chriſtianos *c*), & tritiſſimum tunc temporis in

c) *Vid.* ORIG. *c. Celſ. L. V.* CONSTANTINI *Orat. ad Sanctor. Coetum C.* 19. LACTANT. *L. IV. c.* 15. *vid. etiam* CUDWORTH *T. I.*

Platonicorum & Pythagoreorum ſcholis dogma hoc erat, non peccare qui dolis ac mendaciis veritati ſubveniret. Conſtat, PORPHYRIUM & CELSUM cum indignatione Chriſtianis exprobraſſe, ficta Sibyllina oracula ex eorum officina prodiiſſe, neque tamen metus ullus unquam, ne talia a gentilibus ipſis objicerentur, multos ab infelici hac fingendi libidine abſterruit. Praeterea operae pretium non erat, ut authentia hujus edicti, quod Conſtantini demum tempore in variorum manus perveniſſe videtur, ab ethnico quodam ſcriptore ventilaretur *d*); equidem ante Conſtantinum nunquam ad illud provocarunt Chriſtiani; (& mirandum certe eſt, eos cauſae ſuae adeo oblitos fuiſſe, cum ULPIANUS interea temporis, in ſeptimo operis ſui de officio Proconſulis libro, in colligendis Principum Romanorum reſcriptis, quae Chriſtianis erant iniquiora, operam ſuam collocaſſet) poſt Conſtantinum vero, rebus Chriſtianorum florentibus, nil juvabat gentiles, authentiam edicti hujus in dubium revocare, hocque negotio ultro ſupersedere debebant, quum tota res ad vanam tantum & otioſam diſputationem abiiſſet, quae neque labenti ethnicae religioni medelam ullam, neque Chriſtianae, majora ſemper incrementa capienti, detrimenti aliquid afferre poterat.

§. X.

Vel ex hactenus dictis intelligitur, uno fere ictu cadere omnes illas argumentorum copias, quae in aciem producuntur ad auxilium noſtro edicto ferendum: ve-

p. 411. *Edit. Lugd.* MOSHEM. *diſſert. de turbata per Platon. Eccleſ.* CLERICI *Art. Crit. T. II. p.* 216.

d) Multa ſpuria ſcripta tantum in quibusdam Chriſtianorum familiis latitarunt per aliquod tempus, neque ad reliquorum Chriſtianorum notitiam ita repente pervenerunt. Perraro itaque factum eſt, ut gentilibus innoteſcerent, qui harum rerum minus erant curioſi.

rum, ne defenſivas tantum partes in noſmet ſuſcepiſſe videamur, quaſi haec jam victoria ſit, tutum intra valla reſidere, ac hoſtiles impetus frangere, aggreſſoris munere fungamur, & periculum faciamus, num forſan nobis magis arrideat ſecunda fortuna. Varii autem generis ſunt rationes, quae dubium mihi circa epiſtolae noſtrae authentiam moverunt; quarum prima in ſilentio poſita eſt antiquiorum eccleſiaſticorum ſcriptorum, qui ante Eusebium Chriſtianae religionis cauſam egerunt, & quorum maxime certe intererat, edicti hujus, quod Chriſtianis tam honorificum erat, in paginis ſuis mentionem facere. Equidem, ſi revera publice propoſitum fuit, vix dici poterit, id ſecundi atque tertii ſaeculi ſcriptores latuiſſe; cum hic eſſet mos antiquarum eccleſiarum de omnibus, quae vel proſpera vel infauſta Chriſtianae reipublicae accidebant, ſibimet invicem reſcribere. Fateor, argumentum e ſilentio unius vel alterius ſcriptoris deſumtum, non illam ſemper probationis vim habere, quam vulgo interdum ipſi tribuere ſolent. Salva enim poteſt eſſe veritas facti alicujus, quamvis hic vel ille nullam ejus mentionem injecerit: ſive enim ignorabat talia eveniſſe; ſive vix operae pretium ipſi videbatur poſt tot aliorum narrationes eadem denuo recoquere; ſive etiam privatas ſilentii ſui cauſas habuit. Exinde tamen non ſequitur, ſilentium veterum circa noſtrum edictum nihil plane probare. Etenim quum hoc praecipue agerent Apologetae, ut Chriſtianam religionem non ſolum innocuam, verum etiam legibus non contrariam & ſic ferendam eſſe, oſtenderent; quum ad hoc probandum varium argumentorum apparatum proferrent, & multa aliena etiam a ſuo inſtituto & e longinquo interdum petita ſuis ratiocinationibus immiſcerent, ut inde appareat quam ſolliciti fuerint in conquirendis omnibus, quae cauſam ipſorum aliquantum juvare poterant; quum tamen nunquam ad edictum noſtrum provocaverint, quis

non videt dicendum fore, eos vel male causae suae consuluisse, vel ignorasse, tale edictum unquam latum fuisse? Quis autem credat, eosdem viros, qui in Christianorum favorem vel Trajani & Adriani rescripta citabant, iisque mitiorem subjiciebant sensum, sui adeo oblitos fuisse, ut nostram epistolam, qua Christiana religio eadem propemodum jura in imperio Romano obtinebat, quibus reliquae peregrinae religiones gaudebant, silentio praeterirent?

Dixi jam, MELITONEM coaevum scriptorem in apologetico, quem Marco nuncupavit, recensere Principum Romanorum rescripta, quae ad Christianos pertinebant; & quidem eo consilio, ut ostenderet, sub omnibus iis Imperatoribus, qui justitiae ac virtutis laudem inter suos meriti erant, Christianam rempublicam non illam duram ac flebilem sortem perpessam esse, qualem sub Marco experiebatur. Hic itaque scriptor de nostra quoque epistola verba facere non neglecturus fuisset, neque etiam eum, utpote Asianum episcopum, fugere potuit, talem epistolam datam fuisse, quae publice proposita fuerat Ephesi.

Provocaverat JUSTINUS in prima apologia ad Adriani rescriptum, mirum ergo videri debet, hunc virum in secunda, quam Marco imperante conscripsit, non ad hanc Antonini epistolam, (sancti martyris apologetico uti volunt impetratam) iterum provocasse. Scilicet, inquit MARANUS, *Marci animum molliter tractandum ducebat, nec legum & exemplorum, a quibus sciens discedebat, commemoratione laedendum: audacius Imperatorem monuisset, effectu vel plane destitutum, vel tenui & transitorio gavisum esse Antonini patris edictum.* At, qualis haec fuisset audacia, Principi legem in animum revocare, quam pater ejus rogaverat! Sic & HEGELMAJERUS: *modeste ac decenter feciisse dici potest, quod Pii edictum non allegaverit;* quasi hoc non aeque modeste ac decenter allegare potuisset. Supra jam dicendi nobis locus fuit, JUSTINUM in prima sua apolo-

gia, multa cum acrimonia Romani Imperii dominos ob inhumanitatem, qua in Christianos saeviebant, perstrinxisse; itaque non video, quare idem ille vir, cujus animus supra omnem mortis formidinem elatus erat, hic dicendus sit caute silentium observasse, ne scilicet nimiae temeritatis notam incurreret. Aperte ostendit secunda apologia sancti martyris, primam nullum omnino fructum tulisse: inde totus in eo est, ut gentilibus easdem sententias, eadem fere argumenta, quae olim ipsis propinaverat, iterum iterumque offerat. Eum tamen nosse oportebat, argumenta ex gentili philosophia atque propheticis Veteris Testamenti libris concinnata parum hucusque fecisse ad sedandas persecutiones: alia eaque melior tentanda erat via; ad judices verba facit, ergo lex alleganda, quippe ad legum normam, non ad philosophicas disceptationes causa Christianorum revocabatur.

Incidit apologia ATHENAGORAE secundum MOSHEMII *a*) calculos in annum 177. Elegans hic scriptor multum in eo laborat, ut Christianos ab atheismi accusatione liberet. Quod si Antonini epistolam oculis suis usurpasset, nullus ego dubito, quin pulcerrimum inde subsidium pro sua causa arrepturus fuisset. Valde placebat enim Patribus ecclesiae illa κατ' ανθρωπον disputandi methodus. Itaque, ipsa hac Imperatoris ethnici publice promulgata lege, obturaturus fuisset os accusatoribus obstrepentibus, atheos esse Christianos: quo enim praeclariori, quaeso, testimonio uti poterat, quam illo Antonini, qui Christianos non solum ab hac labe immunes pronuntiaverat, verum etiam gentilibus exprobraverat, quod illi fiducia sua in Deum ipsos superarent.

TERTULLIANUS *b*) ostendere studet, nullos unquam bonos Principes, verum injustos tantum, impios, turpes, quos

a) *Dissert. ad H. E. T. I. p. 272 sq.* *b*) *Apolog.* c. 5.

& ipsi gentiles damnare consuevissent, persecutores fuisse Christianorum. *Quales*, inquit, *leges istae, quas adversus nos soli exequuntur impii, vani, dementes: quas Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos, quas nullus Adrianus, nullus Vespasianus, nullus Pius, nullus Verus impressit c).* Fa-

c) MOSHEMIUS & LARDNERUS existimant, TERTULLIANUM (in eodem cap. 5.) Edictum nostrum ante oculos habuisse, & Marcum tantum cum Pio confudisse, scribendo: *At nos e contrario edimus protectorem, si litterae Marci Aurelii gravissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum forte militum precationibus impetrato imbri, discussam contestatur. Qui sicut non palam ab ejusmodi hominibus poenam dimovit, ita alio modo palam disperdit, adjecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Vult MOSHEMIUS, haec omnia commodissime in Antonini Pii Edictum ad Commune Asiae cadere; eo enim Imperatorem non quidem omnem poenam à Christianis amovisse, at quum statueret, neminem Christianum, nisi criminis cujusdam convictum puniendum esse, facultatem Christianos ad supplicia rapiendi angustis valde finibus concluisse, denique accusatores Christianorum, qui delicti cujusdam eos arguere non possent, temeritatis suae poenas dare jussisse. Verum si TERTULLIANUS Edictum ad Commune Asiae ante oculos habuisset, ego quidem non video, quomodo dicere potuisset, Imperatorem in hoc edicto de Germanica siti extincta verba feciisse. Neque etiam dicturus fuisset, Antoninum non palam à Christianis poenam dimovisse; quibus enim verbis magis hoc fieri potuisset quam illis: *quod si quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium facessere, ex eo quod Christianus sit, delatus quidem crimine absolvatur.* Hoc certe erat (nisi omnia me fallunt) palam omnem à Christianis amovere poenam. Sic & haec TERTULLIANI verba, *adjectam* scilicet *fuisse accusatoribus poenam tetriorem*, parum concordant cum Antonini Edicto, in quo simpliciter dicitur, *delator autem poenas luat.* Praeterea quale & quam insulsum hoc fuisset edictum, quo Christiani fatentes capitis damnati, delatores vero tetriori adhuc supplicio affecti fuissent: equidem, si nulli licebat esse Christiano, nisi praesentissimum vitae periculum adire vellet, quae effecit ratio, ut publico edicto capitis supplicium in eos sanciretur, qui Christiani alicujus nomen ad judices deferrent? Si crimine caruit Christum profiteri, cur qui hoc faciebant extremo supplicio afficiebantur? Porro, si accu-

cile vides, TERTULLIANUM noſtram legem ſilentio certe non praeteriturum fuiſſe, ſi de ea aliquid compertum habuiſſet; praeſertim ſi attendere velis, hunc virum ſaepiſſime rhetoris potius partes, quam hiſtorici agere, ideoque avidiſſime arripere omnia & exornare ſimul, quae cauſae ſuae aliquantum inſervire poſſunt. Luculenter patet, eum nil plane habuiſſe quod de Pio diceret, quum tranſitorie tantum atque frigide dicat, Pium nullas novas leges contra Chriſtianos rogaſſe. Non immerito autem mireris, noſtrum edictum talem virum fugere potuiſſe, qui, ſiquis alius Chriſtianorum, legum maxime erat peritus. Fatetur idcirco ipſe TILLEMONTIUS, paullo difficilius eſſe explicatu hoc TERTULLIANI ſilentium *d*).

ſatores poenam effugere non poterant, quis putet, hominem adeo rationis omnis ſenſusque communis expertem inventum fuiſſe unquam, (atqui multi fuerunt inventi) qui Chriſtianae religionis cauſa voluiſſet aliquem in jus vocare, quum non ignoraret, operae hujus praemium certam mortem & capitale ſupplicium fore? Quis etiam credat, legiſlatorem ita praepoſtere unquam judicaturum, ac edictum propoſiturum fuiſſe, quod ſine omnium ludibrio proponi non potuiſſet? Videtur itaque mihi TERTULLIANUS, cum haec perſcriberet, ſpurium quoddam edictum in mente habuiſſe, ex quo forſan enata etiam eſt iſta Apollonii cujusdam hiſtoria, (*vid.* EUS. *H. E. L. V.* c 21.) quam maximam ſaltem partem adulteratam eſſe, perſuaſum mihi habeo.

d) Reſpondere ſolent ad hoc argumentum ex TERTULLIANI ſilentio petitum, eundem ſcriptorem de Adriani quoque reſcripto nihil dicere. Advertant tamen velim, parum quoque fuiſſe, quod de Adriani reſcripto diceret, cum ad illud Trajani iterum rediret, atque nullo modo duorum horum principum reſcripta cum noſtra lege comparari poſſe. Nulla fere commoda ex his reſcriptis in Chriſtianos redundarunt, noſtro vero omnium, quae vel optare poterant, bonorum ratio habita fuit. Si itaque commentitium edictum, & quod ex dimidia tantum parte commodis Chriſtianorum proſpiciebat, TERTULLIANO dicendi occaſionem praebuit, *at nos e contrario edimus protectorem*; parum veroſimile eſt, hunc virum noſtram Chriſtianis tam honorificam legem, ſi ipſi innotuiſſet, ne attentione quidem dignam judicaturum fuiſſe.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0063
DFG

§. XI.

Quod si jam ad ipsam epistolam propius accedamus, & paullo accuratius singulas ejus perpendamus sententias, tunc nova exoriuntur dubia, quae tam celebratam illam authentiam magis magisque nobis suspectam reddere videntur. Illud jam vidimus, titulum, quem in fronte habet, nullo modo cum historica veritate componi posse. Ut itaque ex his difficultatibus sese expedirent viri eruditi, voluerunt nonnulli, totam inscriptionem non ab EUSEBIO profectam, sed suppositam & ab aliena manu edicto temere praefixam fuisse. Ita certe brevissime ac commodissime totum expeditur negotium. At conjectura haec nil plane habet, quo se tueatur, & omnium EUSEBII codicum manu exaratorum fidei repugnat. Porro; si post EUSEBIUM adulterati fuissent ejus codices, tunc necessario extitisset exemplarium diversitas, ex qua exemplorum discrepantia apud illos scriptores, qui EUSEBIUM secuti sunt, quique non unum idemque historiae Eusebianae exemplum manibus tractarunt, varietas lectionis enata fuisset. Inscriptionem habuit primitivum epistolae exemplum, haec autem, quam EUSEBIUS exhibet, sane quidem eandem, quam tota epistola, fidem meretur, neque prima hujus edicti membra interpolata esse pronuntiare poteris, quin & reliquorum quae sequuntur auctoritatem valde suspectam reddas. Quid multa? ex ipsis hujus inscriptionis putidis vitiis collige potius, totum edictum a sciolo quodam & ignaro homine confictum esse; tunc nulla plane emendatione opus est, operamque suam & oleum perdunt, qui desudant, ut loco nostro medelam aliquam afferant, quum vitiosae hujus lectionis ratio in hac tantum causa lateat, quod homo iste, ex cujus tenebrosa officina nostrum edictum in lucem prodiit, rerum sub Antoninis gestarum non satis peritus, non poterat

rat non talem errorem errare, atque sic invitus licet in ipsa epistolae fronte imperitiam suam prodere.

Supra jam monuimus, Romanos in rescriptis ac legibus suis latino sermone usos fuisse. Quum itaque non primitivum hujus epistolae exemplum, sed versionem tantum nobis exhibeat Eusebius, omnino in hac versione vestigia quaedam latini idiomatis occurrere deberent: verum nullum latinismum redolet graecum exemplar, & adeo horrida atque barbara est epistolae nostrae dictio, ut eam a nullo alio, nisi a graeculo omnium fere bonarum litterarum ignaro conscriptam esse dixerim. Verosimile quoque non est, Antoninum tam multis ac supervacaneis verbis, quibus in edicto nostro utitur, decreta sua Asianis nuncupaturum fuisse. Non enim legislatoris tantum munere fungitur, sed & vanum ac otiosum declamatorem agit; rhetorem potius & ludimagistrum audire credas, quam Principem, qui pro dignitate imperii summique, in quo constitutus erat, loci paucis solummodo verbis, nulloque orationis fuco adhibito leges suas rogasse censendus est. Stilus nostri rescripti saltem valde diversus est ab illo, quo Trajanus & Adrianus ad provinciarum Praesides scripserunt. Etenim, uti summos imperantes decet, non in eo multum versantur ac tempus terunt, ut singulas accusationum sive petitionum partes, ad quas respondendum ipsis erat, prolixa oratione pertractent, eaque, quae inique dicta vel petita ipsis esse videntur, argumentorum quoque serie quadam refutent, sed admodum laconice rescribunt, quid factu opus sit, neque plura, quam necessum est, verba faciunt ad voluntatem suam declarandam. Antoninus etiam eandem videtur secutus esse methodum in epistola ad Graeciae civitates, cujus Melito meminit; simpliciter rescripsit, μηδεν νεωτεριζειν, ut itaque nostrae epistolae stilus vehementer abeat

ab illo, quo Romani Principes tunc temporis mandata sua dare solebant.

§. XII.

Sed age jam ipsas hujus edicti sententias paullo attentius ponderemus. Ut autem ab ovo incipiamus, appareret statim, epistolam Imperatoris responsum esse *a)* ad quasdam Asianorum criminationes, quibus Principis iram contra Christianos excitare tentaverant. Accusaverant eos veluti reos omnium malorum, quae per imperium Romanum grassabantur, terrae motuum praesertim, oppidorum aliquot Asiae excidio insignium, & petierant ab Imperatore, ut contra novam hanc religionem novae etiam leges promulgarentur. At nulla plane hujus petitionis causa aderat Asianis. Cum enim Trajani & Adriani rescripta tumultuaria tantum judicia sustulissent, nec Christianos a legitima accusatione liberassent, cum ad Antonini usque tempora nomen semper puniretur in Christianis, quasi sub eo nescio quod scelus latitarit, certe supervacaneum erat iteratis vicibus novas extorquere leges contra homines, qui ex praescripto legum poenas jam dabant.

Reponit vero Antoninus, & quidem primo dicit, *in commodum cedere Christianis, si ob id de quo accusantur mortem videantur oppetere:* constat autem, in omnibus gentilium scriptorum secundi saeculi locis, in quibus Christianorum mentio quaedam injicitur, constantiam hanc, μανίαν, meram insaniam vocari; constat quoque, Pium valde superstitiosum fuisse; inde non admodum verisimile est, hujus Principis mentem a praejudicatis opinionibus adeo liberam fuisse, ut novam hanc & ethnicis inusitatam

a) Dicit EUSEBIUS, interpellatum fuisse Imperatorem a Christianis in Asia commorantibus. At secundum epistolae tenorem dicendum erit, eum ab ipsis gentilibus quoque interpellatum fuisse.

prorſus ſententiam de Chriſtianis pronuntiaſſe cenſendus ſit. Dein & ſuos perſtringit, *quod per illud tempus, quo terrae motus hujusmodique mala ſaevirent, deos ignorare videantur atque publica ſacra negligant.* Attamen notiſſimum eſt, ſuperſtitioſas gentes calamitoſis iſtis temporibus ad omnia numina eorumque ſacra furore quodam ruiſſe. Nullum erat expiationum & vel nefandorum rituum genus, quod ad averruncanda mala & pacandos deos non adhiberetur, cujus rei inſignia exempla in ipſa Antoninorum occurrunt hiſtoria. Minus commode itaque Antoninus Aſianis exprobrat, deorum cultum eos negligere; imo eam praecipue ob cauſam commovebantur perſecutiones a gentilibus, quod patriae religioni, quae a nova ſecta multum detrimenti accipiebat, opem eſſe ferendam ſibi perſuaderent; magis autem exardeſcebat zelus ille inter publica mala, ubi deos iraſci atque ob neglecta ſacra juſtam exercere vindictam exiſtimabant; hinc ad omnes ritus & ad quoſvis ignobiles deos, quos hactenus vel ultima barbaria aluerat, confugiebatur, & Chriſtiani ceu victimae immolabantur, quarum ſanguine flammas irae divinae extinguerent. Quomodo ergo haec ſibi invicem reſpondent; coeco ſacrorum ſuorum amore inflammati petunt gentiles ab Imperatore, ut novas leges contra Chriſtianos ſancire velit; reſpondet vero Antoninus, eosque perſtringit, quaſi deos ſuos ignorare videantur ac ſacra prorſus negligant.

At magnum patroni epiſtolae noſtrae pro cauſa ſua ſubſidium inveniſſe in eo putant, *cum de terrae motibus b) in ea ſermo ſit, qui ſub Antoninis Aſiae quaedam*

b) Terrae motus partim γεγονοτας partim γενομενους recenſet epiſtola. At ſub Pio (quantum ex CAPITOLINO colligi poteſt,) una tantum vice contigerunt. Quodſi circa annum 150 haec epiſtola data fuit, vix veriſimile eſt, ab Aſianis Chriſtianos terrae motuum adhuc dum reos poſtulatos fuiſſe, qui ſub Adriano circa annum 120 & 129 evenerant.

oppida everterunt; notissimam enim rem esse, gentiles calamitates publicas quascunque per calumniam a Christianis, tanquam deorum contemtoribus, repetere fuisse solitos. Sed hic illud statim advertas velim, hominem, qui hanc Antonini epistolam ementitus est, necessario curare debuisse, ut & veritatis quandam umbram ipsi allineret. Cum itaque tertio saeculo & insequenti tempore uno ore gentiles creparent, cum nova Christianorum religione novas exortas esse calamitates & hucusque non visa terris incubuisse mala, ultro sese offerebat haecce criminatio, quae in omnibus angulis personabat: quamobrem fere dixerim, fabricatorem hujus epistolae hoc quasi pulcerrimum inventum sibi congratulatum esse, quod tritae gentilium objectioni vel ipsis ethnici Imperatoris verbis sic responsionem parasset. Dein vero, in ipsa hac ex terrae motibus, qui contigerant, petita accusatione nova mihi latere videtur ratio, quae authentiam epistolae valde dubiam reddere queat. Scilicet id quidem lubenter concedimus, gentiles multum laborasse, ut invidiam compararent Christianae religioni ista accusatione; quis enim haec negaverit? negamus tamen, hanc sub Antoninis frequentem jam ac usitatam fuisse. Nimirum omnes illae calumniae, quas gentiles Christianae religioni asperserunt, & quas KORTHOLTUS summa cum diligentia uti summa cum confusione, (quae caetera per capita digesta est) in opus quoddam coëgit, non in una eademque regione, non uno eodemque tempore *c*) locum habuerunt, vel exortae sunt; una alteram excepit, & in iis ordinandis temporis quaedam ratio habenda est. Quum haec criminatio, cujus epistola nostra meminit, invaluisset, non solum terrae motuum rei postulabantur Christiani, verum &

c) Sic quidem illae ethnicorum calumniae quae apud JUSTINUM & ATHENAGORAM utramque paginam faciunt, jam ante Constantinum prorsus exaruerant.

inundationum, famis, luis, reliquarumque publicarum calamitatum. Notissimum autem est, sub Antoninis omnia haec mala frequentissime ac gravissime Romanum imperium afflixisse. Quod si propter haec mala gentiles tunc temporis clamitassent Christianos quibus illa imputabantur ad leonem, putarem equidem, nec, uti judico, temere, in apologeticis scriptis, secundo saeculo exaratis, necessario istius accusationis, (quae posterioribus scriptoribus adeo gravis visa est, ut ad eam refutandam omnem suam operam collocarent, omnes ingenii sui nervos intenderent) non vestigium quoddam tantum, sed & disertam refutationem occurrere debere. Plane vero de ea silent JUSTINUS & ATHENAGORAS, idem argumentum uterque tractant, uterque ad easdem respondent calumnias, illas nempe quas ab atheismo, infanticidiis, aliisque nefandis facioribus Christiano nomini inurebant; de nostra accusatione ne verbum quidem habent, quod eo magis mireris, cum, si epistolae sua fides erit, ea praecipue usi fuerint gentiles ad irritandum Imperatoris animum contra Christianos, & sic haec criminatio tunc temporis jam frequens & usitata esse debuisset. Quin ipse CELSUS *d*), qui omni conviciorum genere Christianam religionem adortus est, hanc tamen accusationem neglexit. Putarim, saeculo demum secundo exeunte, sive circa initia tertii saeculi, hancce novam calumniam e latebris suis emersisse; ut itaque ex hactenus dictis non sine aliquo jure colligere possis, in Antonini epistola praematuram ejus mentionem injectam fuisse.

Pergit Antoninus, sociosque suae superstitionis increpat, *quod cultum Dei immortalis, quem Christiani venerentur, haud nossent.* Quis vero, obsecro, sibi unquam persuadere poterit, Principem diis suis vehementer addictum,

d) Incerta est ætas hujus viri. Sub Marco tamen eum vixisse putarim.

& cultum eorum diligentiſſime reſtituere conatum, paganos ad cultum Dei Chriſtianorum amandaturum fuiſſe? Quis credat, eum huncce Deum, novo & inſolito inter gentiles verbo, τον Αθανάτον, τον Θεον appellaturum fuiſſe, cui certe reliqui dii aeque ac ille erant ἀθανάτοι? Quomodo autem objurgare poterat Aſianos, quod cultum immortalis illius Dei negligerent, quem vel ipſe negligebat, qui in univerſo orbe Romano, neque pomparum dierumque feſtorum celebritate, neque magnificis domiciliis, neque longa miniſtrorum turba gaudebat, qui revera erat ἀγνώστος Θεος. Ne ipſi quidem Stoici, quamvis praeclariſſime, de divina quadam mente omnia permeante ac gubernante, deorumque reliquorum genitore ſenſerint, publicam iſtam neſcio quam περι τον Αθανάτον θρησκειαν, de qua Antoninus loquitur, docuerunt. Immo nulla unquam ſecta fuit, quae antiquorum rituum eſſet tenacior, nulla quae legum & religionum publicarum tuendarum ſtudio tantam famam conſecuta ſit, quantam Stoicorum familia adepta eſt. Omnes, qui philoſophicis placitis innutriti fuerant, hoc tenebant, patrios ritus eſſe ſervandos, & profanum vulgus ab illa de uno immortali Deo doctrina, quam τελειοις tantum tradebant, prorſus eſſe arcendum e). Multum quidem laborat HEGELMAJERUS, ut oſtendat, haec Antonini verba nil prorſus habere, quod miremur, immo frequentiſſimam fuiſſe gentilibus formulam epiſtolae noſtrae; *Romanos enim priuſquam vel a Judaeis vel a Chriſtianis non eſſe niſi unum Deum didiciſſent, eundem jam ante ſaepiſſime, ut deum principem, deorum hominumque parentem & mundi fabricatorem, a ſuis multis diis manifeſte diſtinxiſſe;* & addit, *hujus rei teſtimonia afferre ne opus quidem eſſe.* At ego valde optaſſem, haec teſtimonia attuliſſet, neque enim mihi contigit talia invenire. Scilicet, ſplendida ſine dubio

e) *Vid.* WARBURTON *The Divine Legation of Moſes Vol. I. P. 2. p. 92. ſq.*

Jovis cognomina fucum fecerunt viro docto, ut sunt illa, hominum fatoris atque deorum, patris divumque hominumque; non cogitabat autem, cum haec perscriberet, poëtas, qui certe fontes popularis theologiae dicendi sunt, reliquis quoque diis, sine ullo discrimine, eadem largitos esse cognomina. Homerus saepius, somnum, quoque παντων τε Θεων, παντων τε ανθρωπων ανακτα, nominavit. In Alpibus Penninis lapis erutus, inscriptus, Deo Pennino Optimo Maximo. Iste tamen Deus Penninus, reliquis praestare diis non putabatur, ut ergo titulus hic nunquam κατ' εξοχην summum numen, τον Αθανατον, designasse censendus sit. Civitas deorum ad civitatis humanae imaginem erat expressa: unusquisque in illa suas agebat partes, & imperio regebat ea, quae administranda ipsi ex opinione barbarae plebeculae olim data fuerant; nullus vero deorum simpliciter ὁ Αθανατος dictus, quasi prae reliquis numinibus delubra mereretur & majori praestantiorique cultu prosequendus esset. Unusquisque praeterea deorum peculiari suo nomine gaudebat, quo a caeteris distingueretur. Inde cum Christiani ad ethnicorum raperentur tribunalia, interrogabantur a Praeside *), quod nomen dei esset quem colerent; hic, quamvis responderent, Deum immortalem nomen non habere, perinde ac nos mortales, attamen vel ob id ipsum, quod deus eorum anonymus esset, athei esse putabantur. Haec itaque Christiana loquendi formula, quam Antoninus usurpat, repugnat in universum ingenio ac moribus gentilium; quod si etiam concedamus, Romanos interdum sub Jove suo deum principem ac mundi fabricatorem intellexisse, tunc Antoninus sive dixisset, Christianos colere τον Αθανατον, nempe Jovem suum optimum maximum; sive gentiles negligere cultum magni istius deorum hominumque fatoris, quod utrumque absurdum est. Vix autem intelligo, quo-

*) Euseb. H. E. L. V. c. 1.

modo idem HEGELMAJERUS ad majorem ratiocinio suo conciliandam fidem haec addere potuerit, nimirum, *prorsus non esse quod mireris, Antoninum ita magnifice de summo atque unico Deo locutum esse; ad hanc enim unius Dei cognitionem, homines natura proclives esse, sponte jam ferri, & istam notionem multo vividiorem in animis gentilium existere, atque vires acquirere coepisse, cum per Christianos cultus unius Dei magis magisque innotesceret.* Nam universi humani generis & vel ipsa Judaeorum historia luculenter ostendit, tardos esse homines ad hanc sublimem cognitionem, & sibimet ipsis relictos, ab hac notione aberrare potius, quam ad illam accedere *f*). Tot enim tamque retrusas aliarum rerum notitias requirit, ut perfectae demum & ad maturitatem perductae rationis fructus appellari queat. Imo tantum abfuit, ut per Christianam religionem cultus immortalis Dei majora incrementa ceperit inter gentiles, ut illi potius omnes ingenii sui vires intenderent excogitandis subtilioribus argumentis, quibus novae huic sententiae obviam irent, & polytheismum philosophicis quoque atque veri quandam speciem habentibus rationibus propugnarent *g*).

Ultimum

f) Summa cum fiducia asserere ausim, omnes illas notiones de summo quodam numine, quae nostris temporibus ab elegantioribus & interdum imperitis simul hominibus, Ægyptiis, Chaldaeis, Sinensibus, Brachmanibus tribui solent, in remotiore gentium istarum antiquitate nunquam cognitas fuisse, atque Graecos omnium primos fuisse, inter Graecos vero Anaxagoram atque Socratem, qui tandem post longos summorum ingeniorum errores sensim ad hanc veritatem evaserunt, ut novissime haec ostendit Cel. MEINERS *in Hist. de Vero Deo; vid. etiam de* BROSSES *du Culte des Dieux Fetiches.*

g) *Vid.* GIBBON *Histoire de la Décadence de l'Emp. Rom. Les progrès rapides du Christianisme tirèrent les polytheistes de leur profond assoupissement. Les partisans de l'idolatrie se retranchèrent derrière de semblables fortifications de prodiges. Ils inventèrent de nouvelles formes de sa-*

Ultimum tandem argumentum contra authentiam epistolae nostrae in hoc mihi situm esse videtur, quod in tota ecclesiastica historia, non solum ne ullum quidem vestigium occurrat, hanc Imperatoris legem effectum aliquem habuisse, verum & videamus, provinciarum Praesides vel invita hac lege, & in ipsis illis locis ad quae pertinebat, Christianos capitis damnasse. Nimirum constat, senatus ac populi potestate communicata cum Principe, sive potius in eum translata, ab eo, tanquam ab oraculo reipublicae, constitutiones prodiisse *h*). Ubi vel a praesentibus supplici rogabatur libello, vel per litteras consulebatur ab absentibus magistratibus, (qui de omnibus, quae vel circa administrationem rerum provincialium vel muneris sui functionem inciderent, in quo haesitarent, ad Principem referebant) vel etiam universitatum desideria ad eum deferebantur, tunc sive annotationibus, sive epistolis, sive pragmaticis sanctionibus, & ut uno verbo dicam, rescriptis litem terminabat. Nec tantum de jure controverso responderunt Principes, sed etiam de certo & indubitato *i*). Ex iisdem responsis exempla & regulae ducebantur ad similia definienda. Legis habuerunt vigorem *k*) consti-

crifices, d'expiations, d'initiations, tels que le culte mysterieux de Mythras, les Tauroboles qui devinrent à la mode sous le règne des Antonins. Vid. Memoires de l'Académie des Inscript. T. II. LELAND *Demonstration Evangelique Tom. II. p. 355. sq.*

h) *Vid.* GRAVINA *Origines Jur. Civ.* & SCHULTING. *de Rescriptis Imp. Rom.*

i) Ingenue fatebor, me hic incedere quasi per ignes suppositos cineri doloso, neque etiam prorsus immemorem esse tritissimi istius dicti, ne sutor ultra crepidam. Juris periti igitur, (si quis tamen haec legat) mihi ignoscant velim, quae minus accurate vel inepte forsan dixi; nolim quoque, hoc ipsis stomachum moveat, quod voces illas, nimirum rescriptum, decretum, mandatum, edictum, epistolam, promiscue adhibuerim. Vulgarem loquendi usum secutus sum, nec aliam sub his verbis significationem subaudiendam esse volo, nisi illam legis.

k) *L. I. §. 1. ff. de Constit. Princip. Quodcunque igitur Im-*

tutiones, quae a summo imperante emanaverant, praesertim, ubi non ad certas tantum personas sed ad universitates datae fuerant *l*). Lex itaque fuit Antonini epistola ad Commune Asiae, & (quantum ego quidem capio) ad pragmaticas sanctiones referenda est. Quamvis autem rescripta plerumque ad certa tantum loca pertinerent, neque extra eorum limites robur legum haberent, rescripta Principum in favorem Christianorum edita necessario generaliora esse, & sic quoque per universum imperium legum vim obtinere debuerunt. Cum enim in variis imperii Romani provinciis vexationes nascerentur Christianis, cum de his rebus Praesides pro more ad Imperatorem referrent, quod huic vel illi in hac causa rescripsit Princeps, illud etiam reliquis rescripsisse censendus est. Disertum hujus rei habemus MELITONIS testimonium apud EUSEBIUM, qui dicit, Adrianum non solum Fundano Asiae Proconsuli, verum etiam multis aliis provinciarum Praesidibus de Christianis rescripsisse. Vel ex JUSTINI apologia, vel ex Imperatoris rescriptis ad Graeciae urbes efficitur, variis temporibus, in variis imperii regionibus Christianos sub Pio vexatos fuisse; non illud tantum efflagitabant, ut in hac vel illa regione, sed ut per universum orbem Romanum vitam tranquille degere ipsis daretur. Si itaque verum erit, Antoninum, precibus eorum permotum, tandem edictum ad Commune Asiae dedisse, si verum erit, eum, quem epistola ejus prae se fert, animum erga Christianos fovisse, verisimile quoque erit, eundem Princi-

perator per epistolam aut subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interlocutus est, vel edicto praecepit, legem esse constat.

l) Plurimas causas tunc temporis ad rescripta judicatas fuisse, vel ex eo patet, quod Macrinus Imperator, qui juris erat peritus & hunc abusum ferebat impatiens, teste CAPITOLINO (*in Macrin.* c. 13.) statuerat, omnia veterum Imperatorum rescripta tollere, ut in posterum iterum jure, non rescriptis ageretur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0074
DFG

pem qui volebat ut in Asia Christianis parceretur, curaturum quoque fuisse, ut pax illa toti civitati Christianae contingeret. Nil certe impediebat, quominus hoc ab humano & benevolo Principe impetrarent. Habemus ergo publicam legem, quae saltem Asiae Proconsularis provincias spectabat. Quis autem non merito miretur, ubi videat, neque provinciarum Praesides ad hujus legis normam Christianorum causam unquam judicasse, neque etiam Christianos, sive in apologiis *m*), sive cum ad ethnicorum magistratuum tribunalia traherentur, ad eam provocasse? Quis credat, Christianos, si tali lege sese munire contra adversariorum impetus poterant, adeo mutos, adeo hebetes suique parum conscios fuisse, ut ad hanc arcem confugere prorsus negligerent? cum interea temporis Smyrnae (urbe, ad quam lex Antonini certe pertinebat) multis jam ad laniaenam pertractis, Polycarpus tandem crudelissimis flammis extingueretur *n*). Ut hanc objectionem removerent Moshemius aliique, responderunt; Antonini lege illam Trajani de occidendis Christianis desertae majorum religionis convictis abrogatam non fuisse, incolumem mansisse

m) Apologetici scriptores ex omni ligno tela fabricare solebant, hoc enim ipsa methodus, qua plerumque disputant, postulabat. Nullus ergo dubito, quin nostram legem, si vel aliis contrariis legibus abrogata iterum fuisset, hoc non obstante allegaturi fuissent.

n) Non ita certae sunt temporum illae notae, quibus anni vexationum definiuntur, ut multi putant. Valde tamen probabile mihi videtur, Polycarpi martyrium ad annum 167 vel 169 collocandum esse. Melitonis Apologiam demum circa annum 175 vel 177. conscriptam esse credo. Huic ergo scriptori prae reliquis in causa, quam agebat, ad edictum nostrum provocandum erat. Nullas videtur Marcus contra Christianos novas dedisse leges, sed rescripsisse tantum, cum provinciarum Praesides propter periclitantium numerum de his rebus ad eum referrent, ut ad antiquas leges causa Christianorum judicaretur. Verum, unusquisque facile videt, hos Asiae Praesides, nil omnino debuisse habere, in quo haesitarent, postquam Antonini lex Ephesi publice proposita fuerat.

legem Trajani, & hanc Antonini, quae manifeste ei repugnabat, hoc non obstante simul introductam esse in forum: factum inde esse, ut iniqui & crudeles judices, si vellent, & accusatorem & accusatum capitis supplicio afficere possent, & sic negligentia Antonini Pii, qui diserte antiquas leges non sustulerat, Christianis novae legis fructum ereptum fuisse. At sana ratio, ut mihi quidem videtur, & vel ipsa temporum istorum historia, monstrum hoc esse opinionis evincunt. Priores enim constitutiones posterioribus tolluntur o); neque hoc fuisset opem ferre hominibus innocuis, sed malis eorum amarius etiam illudere, si Principes, qui ignorare non poterant leges ipsorum Christianis nil profecturas esse, nisi priores illas, quae ipsis contrariae erant, disertis verbis abolevissent, hanc tamen curam non adhibuissent. Qui vult finem, vult etiam media; & sic qui volebat ut Christianis parceretur, idem ille volebat ut veteres istae leges, quae novam, irritam & illusoriam reddebant, nullum amplius vigorem haberent. Ne quis vero dicat, superstitiosa magistratuum crudelitate factum esse, ut Antonini epistola nullum fructum ferret Christianae religioni, ille advertat velim, vel ex TERTULLIANI loco ad Scapulam, quem supra citavimus, vel ex martyrum actis patere, multos fuisse Praesides indolis placidioris & sanguinis humani parum avidos, qui nunquam Christianis capitalem poenam irrogaturi fuissent, si ex Antonini lege salvos eos dimittere potuissent.

§. XIII.

Cadit vero, ruente nostro edicto, omnis simul difficultas in explicandis variis persecutionibus, quas sub An-

o) TERTULL. *Apol.* c. 4. *Nonne & vos quotidie, experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem squallentem silvam legum, novis principalium rescriptorum & edictorum securibus rusticatis & caeditis.*

toninis Christiani perpessi sunt; & necesse non est, ut temporum horum historia cum lege nostra concilietur, ad portentosam istam hypothesin, nescio an omni juri, sensui certe communi contrariam, confugere, qua volunt, in magistratuum arbitrio stetisse, non solum ad antiquiores sive recentiores leges causam Christianorum judicare, sed & ad utrasque simul, quamvis sibi invicem contradicerent, sententiam pronuntiare, atque accusatorem capitis damnare, accusatum vero non absolvere. Precarius prorsus erat status Christianorum, semper cum injuriis & malis colluctandum ipsis fuit, semper eorum capitibus periculum mortis imminebat, nulla lege contra privatas accusationes munire sese poterant, neque aliud quid Trajani ac Adriani rescriptis effectum fuit, nisi ut tumultuaria judicia ad legitimam fori normam revocarentur, & nimis sedulae inquisitiones ac obscurorum delatorum elogia, quae bonis viris jamdudum sordere coeperant, aliquantum coërcerentur. Nunquam, puto, ita tranquilla fuit civitas Christiana, ut, certis quibusdam temporibus, ultra omnem plane vexationem eam positam fuisse, dicere possis. Hae vero persecutiones magis exarserunt, sive etiam sedatae iterum fuerunt, pro superstitione vel clementia Principum ac provinciarum Praesidum, qui plerumque vel mites vel inhumani fuisse mihi videntur, prout Imperatoris animum erga novam religionem affectum esse credebant. Facile autem sibi persuaserunt viri eruditi, Pium epistolam nostram auctorem habere, quia non tam ex ipsi hujus temporis monimentis, quae ad nos pervenerunt, quam ex monimentorum penuria collegerunt, eo imperante pacem fuisse ecclesiis. Sed multum de veritate hujus opinionis dubitari adhuc potest. Patet enim ex supradictis, sub ejus quoque imperio persecutiones commotas fuisse, & sic quidem aeque ut Marcus in Chri-

ſtianos ſaeviiſſe videtur. De Marco illud negari non poteſt. Locus, quem ex opere ejus adduximus, ſummo contemtui ipſum Chriſtianos habuiſſe, abunde oſtendit. Multum vero valuit Marcus apud Pium, qui, teſte CAPITOLINO *p*), neque de provinciis, neque de ullis aliis rebus quidquam decrevit, niſi quod prius ad amicos retuliſſet, ex quorum ſententia formas conſtituit; ut ita vix veriſimile ſit, ab eodem Principe, qui ab inimicis Chriſtiani nominis obſeſſus, ipſe quoque valde ſuperſtitioſus erat, nihilominus noſtram profectam eſſe epiſtolam.

Tertio & quarto ſaeculo ſolemne hoc erat argumentum, quod Apologetae gentilibus opponere ſolebant, Chriſtianos eos tantum Imperatores fuiſſe adverſarios expertos, qui & a ſociis ethnicae ſuae ſuperſtitionis ſceleratiſſimi fuerunt habiti. MELITO jam, Neronem tantum ac Domitianum Chriſtianis infeſtos fuiſſe affirmat. TERTULLIANUS, Chriſtianos, inquit, talibus auctoribus damnationis ſuae merito gloriari. Latius proſequitur hoc argumentum EUSEBIUS in Hiſtoria ſua eccleſiaſtica, & AUCTOR *libri de mortibus Perſecutorum* evincere ſtudet, perſecutores Chriſtianorum ſeveriſſimas ſuae crudelitatis poenas Deo dediſſe & violenta interiiſſe morte. Non itaque eſt quod valde mireris, cum ex una parte in eo laborarent eccleſiaſtici ſcriptores, ut oſtenderent, tyrannos tantum contra Dei eccleſiam ſaeviiſſe, fuiſſe etiam inventos qui ex altera, Principibus ethnicis, virtutis laude inter ſuos conſpicuis, epiſtolas ac edicta Chriſtianis honorifica affingerent.

§. XIV.

EPILOGUS.

Sed pagina me monet, contrahenda eſſe vela, ne vel ultra praeſcriptos limites evagetur oratio noſtra, neve

p) *In Pio cap. 6. coll. cap. 6. in Marco.*

etiam nimia garrulitate nauseam tandem tibi moveam lector amice, si jam a primis paginis haec non mota tibi est. Quaecunque affirmavi, ita velim intelligas, non quasi haec certa sint & indubitata, sed tantum probabiliora, quia quantum pro mea ingenii mediocritate intelligere potui, haec magis sese commendare mihi videbantur. Quod si hic vel illic errorem commisi, benigne ac placidis verbis eum precor interpretare; vix enim fieri potuit, quin in illa rerum farragine, ubi nonnunquam parum adhuc trita via incedere conatus sum, hinc inde in lapidem impingerem. Lubens certe alios audiam, neque monitoribus asper esse soleo, quum mihi persuasum habeam, summum hunc humanae sapientiae esse assecutum fastigium, qui in tenebris istis, in quibus versamur, non adeo tenax est eorum, quae sive excogitavit, sive somniavit, sive aliunde didicit, ut non apud se cogitet, vel in iis rebus quae in clarissima luce ipsi collocata esse videntur, se tamen errare, alios etiam ultra se sapere, atque multo meliora, quaeque propius ad veritatem accedant, posse tenere.

ERRATA quaedam hoc modo corriget benevolus Lector.

Pag. 11. not. col. a. lin. 16. *autem autem* leg. *autem.*
Pag. 30. not. col. a. lin. 9. *Crisiianis*, leg. *Chrisiianis.*
Pag. 44. not. col. b. lin. ult. *sad*, leg. *sed.*
Pag. 48. lin. 24. *agologiam*, leg. *apologiam.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0079
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0080
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0082
DFG

ROLLARIA

EX VARIO IVRE.

I. Minor, v … *impetrata, tutelam ſuscipere non prohibetur.*

II. Pupillus … *tutoris, actione tutelae conventi, collocatur in claſſis te* … *ectione.*

III. A credi … *itio praeſtatio culpae leviſſimae iure exigitur.*

IV. Mandat … *ae nullos plane producit effectus.*

V. Plures f … *d alimenta partui praeſtanda in ſolidum obligantur.*

VI. Qui ex … *ibuli actionem ad ſatisfaciendum elidere inte* … *probationem ſuscipere non tenetur.*

VII. Forum … *ſſi fundatur in eo loco, ubi illud conſummatum fuit; mi* … *inet iurisdictio concurrens.*

VIII. Linea … *dente extincta, inter reliquas eiusdem generis ſemp* … *cceſſio mere linealis.*

Corrigenda.

Pag. 4. lin. 9. leg … Pag. 15. lin. 12. conciliar*i*. lin. 18. *s*). lin. 19. *t*).
Pag. 16. lin. 23. i … 21. lin. 4. *fit* lin. 17. unc*ia*. l. 21. cohere*s* praeſtab*it*.
P. 24. l. 12. per… 34. lin. 18. imputatione — — *debeant* eſſe exemt*a*.
P. 40. l. 11. rati … 22. z).

UB Rostock 0514000
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 309
Patch Reference numbers on UTT
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010374974/phys_0083
DFG